

1573

1027

D. O. M. A.
Disputatio Juridica
De
ACQVIRENDO
RERUM DOMINIO,

Quam
Consentiente & permittente Magnificâ atq;
Amplissimâ Facultate Juridicâ in florentissimâ
Albimontium Academia,

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi & Consultissimi
DN. CHRISTIANI Kremberg
J. U. D. Dn. Præceptoris, Fautoris & Pro-
motoris ætatem colendi,

Publicæ legalis prudentiæ cultorum censura subiicit
CHRISTIANUS BALDUINUS F. F.

In auditorio Ictorum ad diem 14. Julij, horis à VII. matutinis.

VVITTEBERGÆ,
Typis AUGUSTI BORECK Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXVII.

D. O. M. A.
Disputatio Juridica

ACQVIRENDO
RERM DOMINIO

Consuetudine & peremptoria Magnificenti
Amplissimi Facultatis Juridicae in Universitate

sub Praesidio

DR. CHRISTIANI REINHOLDI
I. L. D. R. Praeceptoris, Tutoris & Pro-

CHRISTIANUS BALDWINUS P. F.

Typis Augusti Bartsch Acad. Typog.
ANNO M. DC. LXXV.

DEO OPT. MAX. FORTUNANTE.

Præloquium.



Ominii materiam esse utilissimam, subtilissimam, multisq; partibus intricatam atq; profundam, res ipsa indicat, & quotidiana rerum experientia evincit. Hujus igitur materiae publicam tractationem & examinationem, non equidem, quâ par est, amplitudine & elegantia, sed quâ fieri potest, certa methodo instituere animo meo complacuit, ut hac occasione non tantum dubiis benè ponderatis fundamentis mihi magis innotesceret; sed & hoc exercitium ad veri falsiq; dijudicationem conduceret. Faciemus autem id succinctè, & ea quidem methodo, ut I. brevem materiae *ἀνάλυσιν* & usus practici *ἐπισημείωσιν*. II. quaestionum nonnullarum è materia fluentium *ἐπίλυσιν* tradamus.

SECTIO I.

Materia ἐκθεσις ὁ ὕψους Practici ἐνδειξις continens.

Thesis I.

Sicut in cæteris omnibus artibus, rebus ac disciplinis, prima inve stigatio de artis vocabulis rerumque propositarum nominibus, ne incertitudo nominum aut sermonis obscuritas, discenti pariant inexhaustam laborum copiam, difficilemque docenti provinciam; ita quoq; in Juris nostri arte

A 2

pri-

prima erit vocum nominumq; indagatio, significationisq; inventio, post deinde artis ipsius tractatio; quod ipsum etiam innuit Ulpianus in *l. i. in pr. ff. de J. & J.* dicens, juri operam daturus prius nosse oportet, unde nomen juris descendat. Et *l. i. ff. de reb. cred.* inquit, e re est, priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre. Huic itaque præcepto aures accommodabimus, & omnium primum *ὀνομασολογία* Domini excutiemus.

II. Dominium quidam à domando; pleriq; à domo derivant, secundum illud Ulpiani, paterfamilias appellatur, qui in domo dominiū habet, *l. pronuntiatio. 195. § 2. ff. de V. S.* & illud Ennii, quod extat apud Ciceronem: O domus antiqua, quam dispari domina dominaris. *Donellus lib. 9. commen. c. 8. Wesenbec. in x. de acq. rer. dom. n. 2. Heigius ad rubr. Inst. de R. D. n. 14. Borch. ad §. 11. Inst. de R. D. n. 1.* Alii ex græco sermone nominis originationem trahunt; etenim Græcis *δομή* & *δομα δῶμα* & *δοματίον* domum significat, & Græcum istud *δομα* idem est, quod Latinis domo, subigo. Unde dominium ortum esse tradit *Petr. Gregor. Tholosan. libr. 1. syntagm. jur. c. 12. n. 2.* Cæterum multi vocabulum istud derivant ex Hebræo *דוּמָי* item *דוּמָי* utrumque domuit, compescuit significat. *Christ. Becman. de orig. lat. lingv. Idem. Becman. ab antiquo verbo Dubeus sive dubienus ab Hebræo דוּבָי, quo bona significantur. Gifan. ad rubr. de A. R. D. n. 4.* Ast quod Domini vocabulum latinum & à Domino deductum sit, plusquam manifestum est; cui rei etiam argumento est, quod Dominus passim in jure usurpatur paterfamilias, ut qui in domo dominium habeat, & princeps sit familiæ suæ, *l. 195. & l. seq. ff. de V. S. Rittershus. ad §. 11. Inst. de R. D. p. m. 150.*

III. Quum idem sæpissimè plura significet, sed tamen aliis alia sint nitidiora, jucundiora. *Quintilian. lib. 8. c. 3. & lib. 10. c. 1.* sic & Dominio multa sunt Synonyma, veluti Dominatio. *l. fin. C. de censib. & censitor. lib. 11.* item Dominatus, quo vocabulo Cicero sæpius utitur; item Dominicum sive domini patrimonium *lib. 2. Feud. tit. 35.* item domanium juxta quosdam. *Renat. Choppin. de domanio;* interdum etiam possessionis nomen pro dominio & proprietate sumitur, sicut Calvinus, Spigelius & alii Lexicographi in verb. possessio, annotarunt. Græcis vocatur *δεσποτεία* Varro.

IV. Domi-

IV. Dominium is habet, qui dōminus est. Ast appellatione domini variè sunt usi Romani; nam & Principes dicebant dominos, quo tamen nomine vocari quidam ex ipsis averfabantur. Domini enim appellationem ut maledictum & opprobrium semper exhorruit Augustus, dominumq; se appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis vel seriò vel joco passus est, *Sueton. in ejus vita, n. 53.* Et Tyberius à quodam dominus appellatus, denunciavit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret. *Sveton. in Tyber. c. 27.* Nominatur etiam Dominus, qui feudum dat, *lib. 1. Feud. tit. 1. §. 1. tit. 4. & 5. §. 1. & lib. 2. tit. 5.* Et dicebant aliquos dominos honoris ac respectus causa; sic enim cliens patronum, sic debitor creditorem nominat. *l. Nefennius. 22. ff. ad L. Falcid. Cuiac. lib. 3. obs. 18. circ. fin.* & item alios urbanitatis causa, qua ratione dominum dicebant, qui conviviū exhibebat, *Cicero in fragment: Lipsius l. 3. antiq lect. c. 7.* Et mariti nonnunquam uxores, quibus blandiebantur, dominas appellabant. *l. uxor. de leg. 2. l. 38. §. 4. l. 41. in pr. de leg. 3.* Quemadmodum & mulier marito suo blandita, dominulum suum appellabat apud Scævolum: & moris est, ut dominos salutemus quosvis nobis obvios, si nomen ignoremus; etsi sciamus, etiam interdum famulos & servos nostros, vel ex consuetudine vel irrisionis loco, dominos vocamus; *Unde Martialis lib. 5.*

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere,

Sepè eti. m servum sic resaluto meum.

Tandem Domini vocabulum etiam quasi dominos complectitur, veluti tutores, qui loco dominorum habentur, *l. qui fundum. 7. §. si tutor. 3. pro emt. Zas. in l. vulgo. n. 4. de in lit. jur.* item bonæ fidei possessores. *l. 25. §. 1. de usur. l. 32. in pr. de usucap. Cujac. ad. l. 2. §. fin. D. pro emt.*

V. Nos Dominium hic accipimus pro patrimonio privato, pro eo, quod singulorum in bonis est, sive proprietas sit, aut jus in re constitutum; seu pro jure, quod pater *ὀικοδοσποότης* in domo suâ habet, *l. 195. §. 1. ff. de V. S. S. singulorum. II. Inst. de R. D. Seneca, lib. 7. de benefic. Cephal. lib. 1. cons. 41. n. 35. Forster. de dominio cap. 2. n. 13.*

VI. Domini *ὀνομασιολογία* rectè sequitur *πραγματολογία*. Nam ut illa verbi notationem declarat; ita hæc rei essentiam explicat Quod autem definitionem Domini attinet, in hac constituenda magna est varietas Dd. quia varii varias definitiones intro-

duxerunt. Et quidem *Bartolus* Dominium definit in *l. si quis. 17. §. 1. differentia. 1. de acquir. poss. & cum eo Schneidvv. ad §. 11. Inst. de R. D. n. 2. & Heig. ad rubr. Inst. de R. D. n. 17.* quod sit jus de re corporali perfectè disponendi, nisi quis lege prohibeatur. Aliter *Baldus* in *l. 3. col. 2. C. si à non compet. jud. jus, quo res nostra est: quem in eo multi docti viri sequuntur. VVesenbec. in τ de A. R. D. n. 3. & ad rubr. Inst. de R. D. & ibid. Vulteius, n. 23. Pacius ad l. 4. de probat. n. 2.* Multi sunt, qui dicunt, Dominium esse jus in re sua. *Donell. lib. 9. com. c. 8. & ibid. Hilliger in not. Cujac. lib. 10. obs. 16. Althusius lib. 1. I. R. c. 5.* qui particulam istam S U A in D E F: omittit. Quidam statuunt esse jus de re aliqua & ejus utilitate disponendi, *Coras. ad l. 5. de acquir. poss.* Ex recentioribus quidam Dominium definiunt, quod sit jus re corporali non tantum utendi, sed etiam abutendi atque alienandi, & eam vindicandi, quatenus jure permittitur. *Rittershus. ad d. §. 11. Inst. de R. D.* ab hisce omnibus aliam sententiam amplectitur *Gilkenius de A. R. D. ad pr. n. 41.* qui definit Dominium, quod sit jus, de re corporeâ pro arbitrio in suos aut alios usus statuendi.

VII. Missis hisce & aliorum definitionibus, existimamus nos Dominium definiri posse, jus patrimonii rei dominandi. *Trentler. vol. 2. disp. 20. th. 1. lit. M. ibid. Bachovius. Gæddeus ad l. 25. ff. de V. S. n. 6. & l. 49. ff. eod. n. 7. Forster. de dominio, cap. 4. n. 19.* qui latè de discrepantia hac *Dd.* differit, & illorum definitiones examinat. Dicitur autem esse jus, quoniam Dominium in jure, possessio in facto est, & quod sit jus, nemo dubitat, & probari potest ex *l. si ita. 126. §. 1. de V. O. & l. 2. C. de prescript. 30. & 40. annor. Vasqv. illustr. controu. c. 51. n. 19. & cit. Dd.*

Additur patrimonii, ut constet nos loqui de dominio rerum privatarum, quæ sunt singulorum, & in bonis & patrimonio nostro esse dicuntur, *l. 1. de R. D. pr. Inst. eod.* Dicitur Rei, non adjiciens cuique, ut *Gæddeus, Trentl. d. l. faciunt;* cum rerum incorporalium non propriè dominium sit, *L. 25. ff. de V. S.* ut nec possessio. *l. servus. 43. §. 1. ff. de A. R. D.* nisi quadam juris interpretatione; *VVesenbec. in τ de A. R. D. n. 3. Donell. lib. 9. comm. cap. 8. ibid.*

Hillig.

Hillig. dissentit à Treutlero Bachovius d. l. Esse etiam dominandi jus nemo negaverit, siquidem hic est finis omnis acquisitionis. l. 78. in fin. de acquir. hered. & discernitur hac notâ à possessione, quæ est καλοχὴ τῆς πραγμᾶς & detentio rei cū affectione habendi, l. 1. in pr. de acquir. poss. item discernitur etiam ab obligatione, l. 3. ff. de O. & A. cit. Dd.

II. Cum a. divisio animum legentis incitet, mentem intelligentis præparet, & memoriam artificiosè reformet, ut inquit Gloss. in §. igitur, 4. in verb. partiri. in proem. Inst. ideò & nos proposita & absoluta Domini definitione rectâ progredimur ad Divisiones. Et planè, si rem penitus perpendamus, Dominium in se considerata unicum est numero & substantia. l. & an eadem. 14. §. actiones. 2. de except. rei judic. diversas tamen qualitates habet, ut inquit Gothofred. ad l. 20. C. de pact. ac proinde variis modis distribui solet & potest:

IX. Prima itaq; ac summa divisio sumitur à causa Efficiente; aut enim aliquis fit Dominus jure gentium, aut civili. §. singulorum. Inst. de R. D. l. in rem. in pr. de R. V. ita sentit Pacius ad l. proprietatis dominium. 4. C. de probat. secutus fortassis Joh. Bosianum antiquum Glossat. qui ita docuit. Sed probè hic notandum, quod modi constituendi Dominium ab ipso dominio sint discernendi. Dominium enim in se considerata, quâ constitutionem est de jure naturæ naturantis & naturatæ, id est, de divino naturalique jure: quâ comprobationem juris gentium & civilis; modi verò dominium acquirendi sunt alii ex jure naturæ, alii ex jure civili. d. §. singulorum. & l. 23. ff. de R. V.

X. Altera Divisio sumitur à materia seu subjecto, quo dominium aliud proprietatis est sive rei seu corporis, quo res seu ipsum corpus cujusq; proprium existit. l. 4. ff. de usufr. Idque rursus duplex est; Verum vel quasi. Illud revera existit; hoc creditur. Illud veritatis est, hoc instar veritatis; illud propriè est, hoc analogicè. Utrumque rursus nudæ proprietatis est, aut non nudæ: illud detracto usufructu, usu vel alio jure; hoc cum usufructu non tanquam parte integrante, sed quadam accessione. l. 2. l. 4. §. 1. ff. fin. regund. l. 25. l. præterea. ff. de R. V. Dominium.

Dominium juris est, quo jus quoddam proprium est; idq; triplex vulgò constituitur: *Servitutis, Possessionis & Obligationis*. Dominium *servitutis* habet usufructuarius *l. 1. ff. de usufr.* Unde & usufructus pars domini vocatur *in l. 4. ff. eod.* & cui aliqua realis servitus constituta est, *s. equè. Inst. de action.* Possessionis dominium habet Vassallus, *c. 1. in quib. caus. feud. amitt. c. 1. s. fin. de feud. cognit.* Emphyteuta *l. cum satis, C. de agric. & censur. lib. 11.* Conductores fundorum vectigalium, *l. 1. l. 2. l. 3. si ager vectig. pet. Superficiarius, l. 1. & l. 2. ff. de superfic. maritus in re dotali l. in rebus C. de jur. dot.* Obligationis habet hypothecarius creditor, *s. item Serviana. Inst. de act.* Item Creditor Paulianâ actione acturus, & patronus ob alienationem in fraudem factam, *s. item si quis in fraudem. verb. petere, ubi Wesenbec. per l. actio. de O. & A. Inst. de act. Althus. lib. 1. J. R. c. 5. Gæddens ad l. 25. ff. de V. S. n. 7.* Multis quidem persuasum est, non esse dominium proprietatis, quippe quod dominium & proprietates sint idem, & in nullo planè differant. *Coras. 6. Miscell. 20. Donell. lib. 6. comm. c. 8. & ibid. in notis Osvald. Hilliger. Cujacius 10. Obs. 16.* At quod sit distinguendum inter dominium & proprietatem, docet eleganter *Pac. ad l. 4. C. de probat. n. 14.* & tractat hanc rem elegantissimè præ aliis *Johann. de Castillo in tr. de usufr. c. 75.* quam sententiam ut veriore defendere nos annitemur, cum *Dn. Forstero in tr. de dominio, c. 5. memb. 2. per l. 13. in pr. ff. de A. R. D.* & multis aliis rationibus ibi politis.

XI. Tertia divisio sumitur à Forma; & dividere solent *Dd.* Dominium in *Directum ac Utile*. Illud vocant solam proprietatem ab usu separatam; hoc solum usum absque proprietate: quam divisionem vetustiores unanimi consensu docuerunt. *Gloss. hinc inde Bald. in l. traditionibus. 20. C. de pact. quos deinceps secuti sunt quidam recentiores, Robert. lib. 3. sentent. c. 18. Wesenbec. in tr. de A. R. D. n. 4. Hanon. disput. 4. Inst. th. 1. Schneidvv. ad s. 11. Inst. de R. D. n. 4.* Alii dicunt, quod Dominium Utile nihil aliud sit, quàm flammis ornanda Chymæra. *Nicol. Intrigliolus in tr. de feud. q. 9. II. 19. Duaren. lib. 1. disp. cap. 17. Treutl. part. 1. disp. 15. lit. G. Borcholt, Rittershus. ad d. s. 11. Inst. de R. D. Gilken. de domin. ad pr. tit. n. 44.* Interim tamen cum multa vocabula in unaquaq; disciplinâ fingantur, idque docendi gratia, hanc quoque distinctionem traditionis familiaris gratia, ut loquitur *Corasius*, retineri posse non imus incicias.

Aliud

Aliud enim est quærere, an legibus sit fundata divisio, & quærere an docendi gratia possit retineri, hoc cum Gæddeo ad l. 27. ff. de V. S. n. 18. Corasio libr. 6. Miscell. 20. Hackelman. disp. illustr. 19. th. 1. lit. B. Heig. ad pr. Inst. de R. D. n. 22. & Forstero in tr. de dominio cap. 5. membr. 2. n. 40. statuimus. Etsi enim hæc distinctio textualis non est, magistralis tamen & usu communi est recepta, & quod in praxi ab ea non facile sit recedendum, monet Johann. Castillus in tr. de usufr. c. 75. n. 26.

XII. Quarta divisio sumitur ab Effectu, ubi Dd. faciunt Dominium aliud Plenum, cujus pars est usufructus; aliud Nudum, à quo usufructus est separatus, Althus. lib. 1. J. R. cap. 5. VVesenbec. in w. de A. R. D. n. 4. Hotoman. lib. 3. obs. c. 22. At cum communius sit receptum, legibusque comprobatum, ut dicatur Dominium plenæ proprietatis & nudæ; malumus & nos loqui cum textibus, & dicere, Dominium plenæ proprietatis, & dominium nudæ proprietatis; sive proprietatem plenam, quando ei conjunctus est usufructus, & proprietatem nudam usufructu detracto, quemadmodum loquuntur textus in §. I. Inst. de usufr. l. 136. §. I. de V. O. l. in pecudum. de usufr. Forster. d. tr. c. 5. membr. 4. n. 53. & seqq.

XIII. Distinguunt quidam Dd. Dominium in Verum & Fictum. Alciat. lib. 2. παρηγοῖον cap. 15. Mynsing. ad rubr. Inst. de R. D. n. 19 Althus lib. 1. J. R. cap. 5. Illud vocant, quando revera quis dominus rei effectus est; hoc dicunt, quod nihil aliud sit, quam sola opinio & persuasio, quâ quis se bona fide dominum rei, quam possidet, esse credit, cum revera non sit, §. namq. si cui. Inst. de act. Sed hanc distinctionem rectè explodunt Vultejus ad pr. Inst. de R. D. n. 24. & ibid. Harprecht. n. 51.

XIV. Alii dominium aliquod faciunt κατ' ἐλπίδα in spe, quemadmodum liberi, vivo patre quodammodo domini existimantur. l. in suis. ii. ff. de lib. & posth. Alii faciunt dominium, quod dicunt κατὰ προέληψιν, id est, per anticipationem, quod habet mulier ratione rei suæ in dotem datæ: & dominium οἰκονικόν sive imaginarium, quod habet vidua, quam maritus relictis liberis decedens, in testamento jussit esse usufructuariam administratricem. Sed his omnibus diutius immorari curæ prætium non est. Hæc de divisionibus domini dicta sufficere possunt.

B

XV. Hæc-

XV. Hactenus dictum de dominio in se considerato; nunc dicendum erit de ipsius Acquisitione, quæ vel Generalis vel Specialis. Ad domini acquisitionem in genere requiritur rei præsentia, & vacuæ ejusdem possessionis apprehensio. *l. in omnibus, de oblig. & act. l. in laqueum. ff. de A. R. D.* Rei præsentia est vera vel ficta Illa acquirentis oculis ita subjicitur, ut corporalis rei de manu in manum fiat translatio, §. *per traditionem. Inst. de R. D. l. 1. §. pen. de acquir. poss.* Hæc est, cum res nudâ cogitatione vel notâ, & symbolo representatur. *Hottoman. quest. illustr. 12.* Vacuæ possessionis apprehensio est, non occupatam rem, *l. pater. §. C. de act. empti.* ejus possidendæ causa tenere, *l. mulieris. §. desinere. d. V. S. l. 29 §. si heres de legat. 3. Hottoman. illustr. quest. 11. Althus. lib. 1. J. R. cap. 13.*

XVI. Domini acquisitio in specie sic dicta in his potissimum consistit. *Quinam, quibus, quarum rerum, qualiter & quomodo dominium & ad quid acquirere possint;* quorum illud prius causam efficientem spectat, de quâ primo loco agendum, cum efficiens causa *πρωτην αρχην τῆς πραγμῶν* præbeat. *Aristot. lib. 2. Phys.*

XVII. Causa Efficiens domini duplex est, uti in omnibus, quæ jure constituuntur, plerumque duplex esse solet. Una generalis est; Jus, quod omnium eorum, quæ fiunt legitimè, causa est efficiens generalis & principalis, *Wesenbec. ad pr. Inst. de R. D. Gæddæus de contrah. & committ. stip. c. 2. in pr.* Est autem Jus efficiens causa domini alio respectu procreans, alio tuens & conservans. Procreans quidem, si dominium in se consideremus, & originem ejus spectemus, tunc rerum dominia jure gentium dicuntur esse distincta, *l. 5. ff. de J. & J. l. 1. de A. R. D.* Si dominium autem consideremus, quatenus certis modis constituitur, tum acquiritur & quasi conservatur dominium, aut Jure gentium velut traditione, aut jure civili; velut usucapione. *l. 23. in pr. de R. V. l. 20. C. de pact. Försterus de domin. cap. 6. n. 3. & seq.*

XVIII. Specialitor & magis propinqua causa domini sunt homines, sive personæ, quæ dominium acquirunt. Possunt autem dominium acquirere omnes, qui non specialiter prohibentur, *arg. l. 43. §. 1. ff. de procur. Donell. 9. comm. 5.* Prohibentur autem acquirere sibi dominium quidam conditione personæ suæ quidam sua ipsi voluntate: Conditione personæ quidam, quod rei commercium omninò sit ipsis interdictum; Alii quod alienæ potestati sunt sub-

jecti.

jecti. Interdicitur autem rei commercium quibusdam, ratione sui facti cujusdam; aliis etiam ratione rei acquirendæ & conditione personæ suæ simul. Ratione facti, vel turpis, veluti si quis crimen commiserit, hoc modo commercium interdicitur Manichæis, Donatistis & aliis hæreticis, quippe quod hoc publicum sit crimen, quia, quod in religionem divinam committitur, in omnium vertitur injuriam, *L. Manichæos. 4. §. 1. & seqq. C. de heret. & manich.* Item rei commercium interdicitur in Insulam deportatis, & in opus publicum damnatis, in quorum locum nostris moribus ferè successit fustigatio cum relegatione perpetuâ, *Autore diff. jur. civil. & Sax. lib. 2. part. 5. diff. 235. VVesenbec. in w. de interd. & releg. in fin. Rittershus. ad §. 2. Inst. de publ. judic. & aliis qui apolides dicuntur, ita quidem, ut ab eâ rerum acquisitione, quæ jure civili est, prorsus removeantur. Ratione facti laudandi, veluti si quis miles sit, aut munus publicum gerat. Nam qui officii causa in provincia agit vel militat, prædia in eadem provincia comparare non potest, *l. qui officii. ff. de contrah. empt. Donell. d. l. circa fin.* Ratione rei acquirendæ & conditione personæ suæ simul, Judæis & Paganis commercium interdicitur mancipii Christiani; nefas enim est, religiosissimâ mancipia impiissimorum inquinari dominio *l. fin. C. ne Christian. mancip. c. Judæi. 5. c. multum. c. adhac. 8. de Judæis. Donell. d. l. Christ. Matthiæ lib. 3. System. politic. exercit. 6. theorem. 1. Schönborn. lib. 3. polit. c. 36.**

XIX. li, qui non possunt dominium acquirere, quod alienæ potestati sint subiecti, sunt vel sub Ecclesiastica potestate, vel sub civili. Sub Ecclesiastica potestate constituti sunt Monachi, qui dominia rerum acquirere non possunt; nam ingressi monasteria, ipso ingressu se suaq; dedicant Deo. *Authent. ingressi. C. de SS. Eccles. Nov. 5. c. 5. & acquirunt omnia monasterio, etiam si sunt fugitivi, secundum Panormit. in c. quod à te. de cler. conjug. & plenè per eundem in c. fin. de regularib.* Omnia enim ferè quæ disposita sunt in personis servorum, eadem locum sibi vendicant in personis monachorum. Sicut itaq; servus omnia suo domino acquirat, *§. 3. Inst. per quas person, nob. acquir.* ita & monachus monasterio, & nihil proprii possidet, ne quidem cappam suam, secundum *Panorm. in c. cum venissent. num. 5. de restit. spol. Everhard. in topic. in loc. a serv. ad monach. num. 1. & seqq. Bart. & Bald. in d. Auth. ingressi. C. de SS. Eccles.*

Sub civili potestate constituti sunt dominica quidam, alii patria.
Sub illa sunt servi, sub patria filii fam. Vtrique impediuntur, quo-
minus sibi dominia rerum acquirant vi potestatis, cui subsunt; u-
traque enim potestas tam patria, quam dominica filiorum fam. ac
servorum libertatem ita constringit, ut liberam faciendi quicquid
velint, facultatem non habeant, sed ad nutum patris vel domini
quævis facere teneantur, *l. 4. ff. de R. J. ibid. Philip. Matth. n. r.* Diver-
simoda tamen ac distincta ratio est, in filiis & servis. Servi e-
nim nihil omnino suum habere possunt, sed quicquid acquirunt,
dominis acquirunt, *l. acquirunt. §. 1. ff. de A. R. D. §. 1. Inst. de his qui sunt
sui vel alien. jur. §. 3. Inst. per quas person.* & quidem plene nostri, eti-
am ignorantibus nobis & invitis acquirunt ex quacunque causa,
d. §. 3. l. 10. l. 23. de A. R. D. quamvis acquisitum possit repudiari, *l. hoc
jure. 19. §. 2. de donat. l. invito. 69. ff. de R. J.* Excipitur tamen causa suc-
cessionis *d. §. 3.*

Minus plene nostri nobis acquirunt, tantum ex re nostra, &
ex suis operibus; quod verò extra has causas consecuti sunt, id
proprietatis domino accedit. *§. de his. per quas person.*

Idem obtinet in servo alieno bona fide possessore. *§. 4. d. t. Alt-
bus. lib. 1. J. R. cap. 13.* Habentur enim jure civili pro nullis, *l. 32. de
R. J. imò pro mortuis. l. 209. d. t.* & servile caput, etiam nullum jus
habet, *l. 3. §. 1. ff. de cap. min. l. qui testamento. §. servus. ff. qui testam.
fac. poss.* Ast dura illa conditio servorum optimâ ratione est abo-
lita, quæ tempore Caroli Magni circa annum CHRISTI MCC.
esse desit, fere per universum mundum. *Bodin. de Repub. cap. 5.
Vultejus, i. J. R. c. 5. n. 46. König in theat. polit. part. 1. cap. 1. n. 147.*
Superfunt tamen in locis nonnullis Germaniæ etiamnum servi-
tutis illius antiquæ quædam vestigia, cum reperiantur quidam,
aliis strictiore jure divincti, ad servorum propius quam libero-
rum conditionem accedentes, qui cum revera servi non sint, no-
vo nomine homines proprii, *Leibetgene Leute oder zu alltäglichen Dien-
sten gefessene Untertanen* appellantur, uti apud Wandalos in
superiori Lusatiâ rustici nobilibus suis corpore fortunisque sunt
addicti. Eadem etiam conditio est rusticorum apud Russos, Lit-
uanos, Polonos, Bohemos & alios, quos hi Kmetrones vocant,
ut testatur *Arniseus lib. 1. de Repub. cap. 3. sect. 9. n. 2. & seqq.* Quic-
quid

quid itaque sancitum est de servis jure civili, id Principes cæteri-
que domini hodie pro diversa Germaniæ consuetudine ad rusti-
cos proprios transferre possunt, teste Oldendorpio *class. 3. act. 9. Phi-
lip. Matth. ad. l. 21. ff. de R. J. n. 9. König in theatr. polit. d. l.*

Sed in filiisfam. paulò secius se res habet; patria enim po-
testas levior est dominicâ. *Donell. lib. 9. comm. cap. 6.* quicquid qui-
dem acquirunt, hoc patri acquirunt, §. 1. *Inst. per quas person.* ita
tamen ut inter peculium distinguatur. Pro cuius declaratione sci-
endum: Peculium dici parvam pecuniam, quam filius suâ parsi-
moniâ vel industria acquirat, *l. peculium ex eo. ff. de pecul.* Estque
duplex; Castrense & paganicum. Castrense subdividitur in *l. fin. C.*
de inoffic. testam. aliud enim est Castrense in specie, quod à parenti-
bus vel cognatis, vel ab aliis extraneis filiofam. eunti ad castra &
degenti in militia, donatum est, & quod ipse filiusfam. tanquam
miles in castris occasione militiae acquisivit. Aliud est quasi Ca-
strense peculium, quod filiusfamil. suo ingenio extra militiam ad
similitudinem tamen militiae acquirat, ut ex professione artium
liberalium, ex administratione publicorum officiorum, ex Sacer-
dotiorum proventibus & causarum patrocinis; sicut & advoca-
ti militare dicuntur, *l. advocati. 14. C. de advoc. divers. judic.* Pagan-
icum verò peculium dicitur, quod filius non miles conniventibus
oculis patris acquirat. Et illud quoque subdividitur: quoddam
est profectitium, quod à patre filio conceditur, sive ex bonis ejus,
sive aliunde, factum tamen aut contemplatione patris, veluti, si
quis patri donaturus, dederit filio, *l. 5. in princ. ff. de jur. dot.* Quod-
dam est Adventitium, quod filio obvenit non ex substantia &
re patris, nec ejus occasione, sed aliunde, forte à matre, vel aliis
cognatis, vel etiam extraneis, ut ex successione, vel ex libera-
litate fortunæ, ut ex venis metallicis. Quod igitur ad peculium
castrense vel quasi attinet, illud filiusfam. sibi in totum acquirat
quoad proprietatem & usumfructum, ita ut de eo etiam testari
possit, *l. fin. C. de inoff. testam.* Profectitium verò peculium in to-
tum quoad proprietatem & usumfructum patri acquiratur; neque
hoc est iniquum, quod occasione & ex re patris proficiscitur, ut ad
eum quoque revertatur §. 1. *Inst. per quas person.*

Adventitium verò peculium quoad proprietatem filiofam.
quoad usumfructum patri acquiratur, donec pater vivit, *d. §. 1.*

B 3

Quod

Quod tamen de consuetudine in his terris non observatur, sed fratri solum competit ususfructus, donec filius se à patre non separat; nam factà separatione pater cogitur ei restituere omnia bona materna & alia adventitia, sive filius adhuc sit in potestate, sive non, & hoc potius consuetudine quàm verbis, *artic. 11. lib. 1. introductū est, & ita servatur & pronunciatur Francis. Pfeil. cons. 14 n. 15. Rittershus. VVesenb. ad. d. §. 1. Inst. per quas person. Först. de domin. c. 6. n. 15. & seqq. XX.* Qui dominium sibi non acquirunt suapte voluntate sunt omnes, qui quid eo animo accipiunt, ut non sibi sed alteri acquirant; quo minus enim sibi acquirant, voluntas acquirentis refragatur. *l. si quis genere. C. de jur. dot.* Sciendum autem, quod dominium nobis non solum per filios & servos nostros acquiratur; sed etiam interdum per eos, in quibus usumfructum habemus, vel quos bonà fide possidemus, sicut & per liberam personam, quæ bona fide nobis servit, *l. 10. §. 4. l. liber. 19. ff. de A. R. D.* Imò per extraneam quoq; personam liberam, certis tamen in rebus & conditionibus certis, veluti per procuratorem, tutorem, curatorem possessio nobis acquiritur, *l. 1. C. per quas person. nob. acquir. Donell. lib. 9. comm. c. 6. & 7. Althus. lib. 1. J. R. cap. 13.*

XXI. Habuimus hætenus, qui, quibus dominium acquirant, & sic de causa efficiente domini; nunc videamus de Materia, in qua consistunt dominia, quæ sunt res omnes humani juris, quæ in commercium cadunt, & propriè res corporales, ut *d. supr. th. 6* Eximuntur autem humano commercio, ut æstimari nequeant, & patrimonii cõputationem effugiant, quædam naturà, quædam jure, *l. 34 §. omnium. ff. de contr. th. empt.*

XXII. Naturà eximuntur res, quæ neq; in natura sunt, neque futura sperantur, *§. 1. Inst. de inat. stipul. l. 35. ff. de V. O.* Non enim, entis nullæ sunt qualitates, *l. ejus qui in provincia. ff. de reb. cred.* & quod in rerum natura non est nec erit futurum. *Dd. ad l. 1. ff. de acquir. poss.* Ejus generis est hereditas viventis. *l. qui superstitis. ff. de acquir. hered.* Item liber homo; cù libertatis nulla sit æstimatio, *l. liberras. ff. de R. I. l. sed Celsus. 6. in pr. l. 62. §. 1. ff. de contrab. empt.* Interdum tamen liberi hominis emptio valet; veluti si major 25. annis ad pretium participandum se venundari passus est, item si pater in extrema paupertate constitutus, metus causà filium vendiderit. *Gæddens ad l. 5. ff. de V. S. n. 11. Förster. de dominio. c. 7. n. 108.*

XXIII. Jure

XXIII. Jure eximuntur, quædam Publico, quædam Communi; Communi jure exempta illa, quæ naturâ, usu & accessione omnibus animalibus sunt communia, puta, aer, aqua profluens, mare, littus maris, flumen, ripa &c. §. & quidem cum §§. seqq. Inst. de R. D. Etsi verò quoad usum harum aliqua occupatio esse potest, d. §. & quidem. vers. dum tamen à villis. l. in tantum. ff. de R. D. ipsorum tamen corporum adeò nulla est acquisitio per occupationem, ut cessante usu & occupationis actu statim pristinum statum recipiant, & quasi postliminio revertantur. d. l. in tantum. ff. de R. D. nulla etiam obstante temporis præscriptione, l. præscriptio. 45. ff. de usucap. Gæddens d. l. 12. Publico jure è commercio & patrimonii computatione eximuntur, quæ sunt Religionis, quæ Defensionis & quæ Opportunitatis, Vitruvius lib. 3, Inst.

XXIV. Religionis sunt res Sacræ & Religiosæ. Sacræ res sunt, quæ publicâ autoritate jussu populi olim à Consule, Dictatore, Pontifice vel Imperatore, l. in tantum. 6. §. sacræ. ff. de R. D. §. 8. Inst. eod. hodie Antistite cujusq; loci solenniter divino Numini consecrantur, veluti sunt ædes sacræ & res mobiles, seu donaria, ut libri sacri, vasa ad sacramentorum usum necessaria, d. §. sacræ. l. 9. in pr. & §. 1. ff. de R. D. Wesenbec. in w. de R. D. n. 2. Althus. lib. 1. §. R. cap. 12. Semel autem a de sacra facta, etiam diruto ædificio locus nihilominus sacer manet. d. l. 6. §. 3. de R. D. d. §. 8. l. æde sacra de contrah. empt. nisi fuerit ab hostibus capta. l. 36. ff. de religios. De jure tamen Canonico locus non amplius manet sacer diruto templo, sed de novo consecrari debet. c. Ecclesiis. 20. de consecrat. distinct. 1. Schneidvv. ad §. Sacræ. §. Inst. de R. D. item Wesenbec. Borcholt. & Heig. eod. Religiosæ res sunt, quæ humationi & sepulturæ sunt attributæ; illatio namq; cadaveris in locum immobilem, religiosum locum facit, §. religiosum 9. Inst. de R. D. l. 6. §. 4. ff. eod. Ethnicis a. hic locus religiosus erat, quoniam mortuos inter Deos referebant. Cic. de amicis. Nobis autem loca religiosa habentur, quoniam sunt sepulchra fidelium & continent corpus, quod dum vivebat, fuit templum Spiritus Sancti. 1. ad Corinth. cap. 3. Donell. lib. 4. comm. c. 1. Religiosum autem locum unusquisque sua voluntate facit, dū mortuum, aut quod principale est in homine, caput infert in locum suum d. §. 9. l. 1. §. 2. de relig. & sumpt. fin. Hodie autem aliud Jure Canonico introductum usq; receptum est, cū nos publica cœmeteria habemus, ut

ut privata autoritate locus non fiat religiosus per illationem
mortui, sed requiratur autoritas & consecratio Episcopi, ut nota-
tur in *c. ad hec. 4. de relig. domib. Schneidvv. & Rittershus. d. loc.*

XXV. Defensionis sunt res sanctæ, quæ ab injuriâ hominum
sanctione aliquâ muniuntur, proprieq; sunt illæ, quæ nec sacra,
nec prophana verè dici possunt, sed sanctione & pœnarum terro-
re à violatione defenduntur, §. *sanctæ. 10. ff. de R. D. Wesenbec. in w
d. tit. n. 2. Althus. lib. 1. R. J. cap. 12.* In hisce autem rebus numerantur
sanctiones legum, *l. sanctio. 42. de pœn. l. 9. §. 2. ff. de R. D. Muri &
portæ civitatum, quia pœna capitis constituta est in eos, qui hæc
violant l. sanctum. §. l. fin. ff. de R. D.* Et hæc pœna capitis in viola-
tores murorum constituta, non solum ad Urbem Romam, sed &
ad alias civitates pertinet, cum *text. in d. §. sanctæ. 10. generaliter
loquatur; & omnes etiam hodie, qui in Imperio Romano sunt,
cives Romani sint. l. 17. ff. de stat. hom. aliorumve etiam muri san-
cti dicantur, l. 8. §. fin. ff. de R. D. Gilken. ad §. 10. n. 6. & seq. de domin.
Borch. n. 3. Inst. de R. D. Goedd. ad l. 5. ff. de V. S. n. 17. Berens disp. 3. Inst. th.
& Hænon. disp. 4. Inst. th. §.*

XXVI. Opportunitatis res sunt loca publica & res universita-
tum ad usum publicum dispositæ, veluti balnea, portus, theatra,
fora, inambulationes publicæ, §. *universitatis. 6. Inst. de R. D. §. 1.
Inst. de inutil. stipul. Goedd. ad l. 5. ff. de V. S. n. 18.* Hisce præsupposi-
tis notanda est generalis regula, quod Sacrarum aut Religiosa-
rum, aut Sanctarum vel Ecclesiasticarum rerum nullum sit com-
mercium, uti supra dictum. nec alienari regulariter possint, *l. sed
Celsus. 6. in pr. l. si in empt. §. 1. de contrah. empt. nec usucapiantur, l. usucapionem. 8. de usucap.* Quod enim nullus esse potest, id ut alicu-
jus fieret, nulla obligatio valet efficere, *l. 182. ff. de R. J. Limita-
tur tamen prædicta regula, ut in quibusdam casibus liceat res Ec-
clesiasticas, mobiles & immobiles alienare, qui notantur post
text. in *l. sancimus. per gl. & Dd. in l. jubemus, supr. verb. inscribantur. C.
de SS. Eccles. & ad tres casus principales referri possunt. Primò e-
nim ex causa pietatis permittitur hujusmodi alienatio pro redem-
tione captivorum, si Christianæ fidei consortes, ab hostibus capti
veniant redimendi, & nihil aliud suppetat, unde redimantur; quia
animæ hominum quibuscunq; causis, vasis vel vestimentis præ-
ferri debent, ut dicitur in *d. l. sancimus.* Item tempore famis pro a-
limentis**

alimenti pauperum si intoleranda fames ita premat eos, ut pauperum & infirmorum vitæ succurrendum sit, d. l. *sancimus*. Aurum enim Ecclesia habet non ut seruet, sed ut eroget & subueniat in necessitatibus, c. *aurum*. 70. *caus.* 12. *quest.* 2. Secundò ex causa necessitatis res Ecclesiasticæ alienari possunt, ut si æs. alienum urgeat Ecclesiam & aliunde persolui nequeat, *Auth.* *hoc jus porrectum*, & *Auth.* *præterea*. C. de *SS. Eccles.* Tertiò ex causâ utilitatis, si conditio Ecclesiæ inde fiat melior. c. & *hoc quidem*. 8. Nov. 120. de *alien.* & *emphyt.* Ad hoc autem ut in prædictis casibus valeat alienatio rerum Ecclesiasticarum, requiritur, ut interveniant certæ solennitates, de quibus traditur in c. *sine exceptione*. 52. *caus.* 12. q. 2. & in c. *tua*. 8. *extr.* de *his quæ sunt a prælat.* Nam. 1. debet intervenire tractatus & causæ cognitio, an Ecclesiæ expediat alienatio, 2. autoritas superioris seu decretum Episcopi & prælati Ecclesiæ. 3. consensus totius Cleri seu Capituli, secundû Panormit. in c. *statuimus*. 2. *extr.* de *transact.* Prædicta autem limitantur procedere in alienationibus perpetuis, non autem temporalibus, ut est locatio ad 6. vel 9. annos; nam tunc sufficit sola autoritas Abbatis, Prælati vel alterius administratoris c. *possiones*. 61. *caus.* 16. q. 1. Deinde requiruntur prædictæ solennitates, quando Ecclesiæ res alienantur, quæ servando servari possunt; Secus est in rebus quæ servando servari nequeunt, ut sunt fructus percepti ex fundis Ecclesiasticis. Nam tales res sine istis solennitatibus alienari per administratorem possunt, c. 53. *caus.* 12. q. 2. *Gilken.* in *S. sacræ. n.* 54. *Inst.* de *R. D.* *Forster.* de *domin.* t. 7. n. 20.

XXVII. His ita cognitis facilè apparet, quænam res sint in commercio, ut in patrimonio nostro computentur; nempe, quæcunq; non sunt natura aut jure cum communitum religionis & defensionis & opportunitatis penitus exemptæ. Sunt autem vel corporales vel incorporales, l. 1. in *fin.* de *R. D.* & t. t. *Inst.* de *reb. corpor.* & *incorp.* Res corporales sunt; quæ tangi possunt, etiam si actu non semper tangantur. *Vultejus lib.* 1. f. *R. c.* 62. quales sunt e.g. fundus, homo, vestis, aurum, argentum; Incorporales res sunt, quæ tangi nequeunt, quales sunt, quæ in jure consistunt, veluti vectigalia, jus venandi & alia Regalia, (sunt enim Regalia jura, *Sixtin.* in *tr.* de *Regal.* c. 1. n. 11.) item usus, fructus, usus & aliæ servitutes. l. 1. in *fin.* de *R. D.* t. t. *Inst.* de *reb. corpor.* & *incorp.* *ibid.* *Dd.* Utræque autem

C

vel

Vel mobiles vel immobiles, l. à Divo Pio. 15. §. item venditione, & ibi
Bartol. Jas. & alii Dd. de re judic.

XXIIX Mobiles res sunt, quæ de loco in locum moveri possunt,
& iterum distinguuntur in Moventes, quæ se ipsas movent, veluti
animalia viventia, quæ possessionis nostræ sunt; aut Mobiles, quæ
ab aliis moventur, vetuti lectus, vestis, mensa, pecunia, &c. l. 1. §. 1. ff.
de R. V. Althus. lib. 1. §. R. cap. 2. Immobiles res sunt e contra, quæ loco
moveri non possunt; suntque duplices, aut tales sunt, aut pro tali-
bus habentur. Sunt tales res soli, quæque solo coherent ac con-
tinentur, ut fundus, prædium. l. 7. ff. de usufr. fructus pendentes,
arbores insylvis. l. fructus. 44. ff. de R. V. granaria. l. 18. ff. de act. empt.
arundineta & salicta nondum cæsa, &c. l. quesitum est. 12. §. 1. de
instr. vel instr. leg. Pro talibus habentur res incorporales, quæ in
jure consistunt, hoc enim incorporalium rerum proprium est ge-
nus. Cujac. ad l. 93. ff. de V. S. ut sunt servitutes, Emphyteusis, jus
venandi, piscandi, feudum de Camera & Cavena vulgò Kammer-
lehn/Beutel lehn/ lib. 2. feud. tit. 1. in fin. panes civiles & hebdoma-
darii, l. fin. §. præterea. C. de jur. dot. redditus anoui. Constit. Elect. 24. p. 3.
item partes metallicæ, quæ vulgò Ruckus nominantur, p. 3. Const.
Elect. 25. & ibid. Daniel Moller. Coler. decis. 286. n. 153. & seq. non au-
tem eruta, quæ dicuntur Nusbeut; Forster. de domin. c. 7. n. 69. Al-
thus. de loc. Acquiruntur itaque regulariter omnes res tam corpo-
rales, quam incorporales, (impropriè scil. th. 6. supr.) mobiles &
immobiles, l. 1. §. fin. cum seq. l. 20. & seq. ff. de contrah. empt. extan-
tes & futuræ. l. 8. eod. tit. l. 12. de act. empt. præsentis & absentes,
l. 2. in fin. de contrah. empt. Forster. d. loc. & distrahi quoque possunt
propriâ autoritate; quilibet enim est moderator & arbiter rerum
suarum, vulgat. l. 21. C. mand. Quod non omnimodo procedit
Jure Saxonico, non enim permittit hoc jus immobilium bono-
rum alienationem, nisi cum approbatione & autoritate judiciali,
Landrecht lib. 1. art. 8. Matth. Coler. de process. execut. p. 1. c. 10. n. 164
sed hoc in praxi non servatur, mera enim est juris Saxonici sub-
tilitas, Forster. d. loc.

XXIX. Dictum hæctenus, quinam, quibus, quarum rerum domi-
nium

mium acquirere possint: restat nunc, ut breviter dispiciamus, ex
 quibus causis dominium constituatur, & quibus modis acquiratur,
 quæ pertinent ad formam & differentiam quandam præscri-
 tam, l. 4. §. 1. de servitutib. Christoph. Ehem. lib. 1. de prin: jur. c. 2.
 Domini constituendi causæ sunt multiplices & variæ, velut Em-
 ptio & Venditio, noxæ deditio, permutatio dotis, & in solutum
 datio, donatio, legatum, stipulatio, pactio; investitura. l. 1. & seq.
 ff. de publ. in rem action. l. pro soluto, de usucap. t. t. ff. pro empt. pro do-
 nat. pro legat. pro dot. l. 1. C. de fund. dot. Johan. Niger de mercator.
 contract. cap. 4. A traditione quoque & satisfactione perfectio-
 nem accipit. Bald. in l. ab emptione. ff. de pactis. Traditionibus enim
 & usucapionibus, non nudis pactis, dominia rerum transferun-
 tur, l. traditionibus. C. de pact. Transactio etiam non minus habi-
 lis titulus ad dominium per traditionem transferendum, quam
 venditio, l. transactionem. 35. C. de transact. ut & hereditatis dela-
 tio, item mutuum; mutuum enim ex Tuo meum facit, §. 1. Inst.
 quib. mod. re contr. oblig. Pronomen autem MEUM domini-
 um denotat, l. 27. §. argento. 2. de aur. & argent. leg. Zas. in l. e-
 jus qui. vers. quas vero. num. 7. ff. si cert. petat. Gail. lib. 2. obs. 12. n. 1.
 & seq. Permutatio quoque, l. 1. in fin. cum l. seq. de rer. permut.
 & multa alia. Wesenbec conf. 186. num. 14. Sunt tamen etiam
 tituli alioquin justii, non tamen suffiunt ad dominium consti-
 tuendum, sed solum ad possessionem, ut depositum, quod do-
 minium non mutat aut transfert in accipientem, l. licet. §. fin. ff.
 depos. l. Lucius. ff. Locat. Item Commodatum, l. rei commodata.
 §. l. 9. ff. commodat. precarium, l. 1. in fin. de precar. locatio. l. non so-
 let. ff. locat. Pignus. l. cum de sortis. §. fin. ff. de pignor. act. scil. con-
 ventionale Secus in pignore Prætorio vel judiciali, l. neq; pignus. 45.
 & ibid. Dd. comm. de R. J.

XXX. Modi dominium acquirendi vel juregentium in-
 troducti sunt, vel jure civili, l. 1. ff. de R. D. §. singulorum. Inst.
 de R. D. Juregentium quod & naturale Justin. vocat, d. §. sin-
 gulorum. acquirimus duobus modis. 1. Occupatione & Acces-
 sione. 2. Traditione. Althus. lib. 1. J. R. c. 14. Obrecht. in disput.
 de domin. th. 53. Gædd. ad l. 23. ff. de V. S. num. 4. Heig. ad. S. fere.
 Inst. de R. D. Alii aliter.

C 2

XXXI. Occu-



XXXI. Occupatio est rei adprehensio, qua acquirimus id, quod nullius est, neq; possessionis, neque domini ratione. *l. 3. de A. R. D.* sed fieri alicujus potest, *s. fera. Inst. de R. D.* Ejus species duæ sunt, Captivitas & Inventio; Captura versatur circa feras. *l. 1. de A. R. D.* aut circa hostes. *s. 15. Inst. eod.* Ferae sunt, quæ immensam ac infinitam liberè vagandi à naturà potestatem habent. *Hottoman. ad. d. s. fera.* Circa fera animalia versatur Venatio, Aucupium & Piscatio; auctore enim Caio animalia, quæ terra, mari cœloque capiuntur, id est, ferae, bestiae, volucres, pisces, capientium fiunt & hoc idcirco, quia quod nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, *d. l. 3. ff. de A. R. D. sep. d. s. fera.* Teste enim *Quintiliano.* quod omnibus nascitur, industriae præmium est, *Althus. lib. 1. J. R. 6. 14.*

XXXII. Venatio strictè & propriè ita accepta, definitur jus sive facultas libera investigandi & capiendi feras terrestres, in nullius potestate existentes, eo animo instituta, ut fera illa animantia juri nostro subjiciantur, iisque utamur fruamur, *Noe Meurer tract. von Jagt: Bnd Forst Recht/p. 2. tit. Woher Fürstliche Obrigkeit etc. fol. m. 12.* Competit autem jus venandi jure Gentium, à quo hoc casu nullo modo recessit Civile Justinianæum, omnibus indistinctè hominibus, nullo personarum habito respectu, *d. s. fera. 12. cum mult. concord. Schneidvv. ibid. n. 5. & comm. Dd.* Clericis tamen & monachis aliisque personis Ecclesiasticis venatio non est indistinctè permessa; imò gravissimæ poenæ Clericis venantibus sunt impositæ, ut constat *ex c. 1. & 2. extr. de Cler. venat. can. 2. & 3. distinct. 34. Can. Esau. dist. 86. Clement. ne in agro. s. porro de stat. monach. VVesemb. in c. de A. R. D. n. 7. Sebast. Medices p. 1. q. 3. 8. & 9.* Sed & hoc casu contrarium hodie videmus; idque si saltus proprios, aut vivaria ferarum haberent, quorum reditus ex sola venatione consisterent, vel etiam jus venandi in alienis fundis haberent acquisitum, & per venatores Laicos ad hoc constitutos venarentur, licitè fieri posse; modò necessaria vocationis officia non negligantur, neque modestiæ fines transgrediantur, communis placuit, *d. Clement. 1. s. porro ubi Gl. & Canonist. communiter. Sebast. Medices d. q. 8. num. 17.* Sed juri civili Justinianeo primum derogavit Imp. Fridericus promulgando constitutionem, quâ privatis hominibus, & præsertim rusticis, jus in publico & alieno loco venandi interdixit, *2. Heud. 27. s. 4. vers. nemo retia. ubi Alvarott. Laudens. & communiter Feudistæ.*

dista. Urſos tamen apros & lupos etiam in alieno fundo ex Con-
stit. Friderici capere & occidere cuilibet licitum est. Tandem
venatio privatis omnino fuit adempta; in his enim terris cum
consensu Nobilium ab Electore nostro facta est Constitutio, quod
nullus in fundo alterius venari debeat sub poena centum flore-
norum, & ne quidem in suo proprio fundo sub poena capitali, in
Ordin. provinc. tit. Von Jagten/cum mult. seqq. & ita etiam pronun-
ciatur & est sententia post *Weichbildt/sub tit. Daß man auff and-
ern Güttern nicht Jagen/oder ander Weidwergk treiben sol* / Imò
etiam Nobilibus hodie non conceditur in propriis sylvis venari
& capere cervos, apros & similes feras, *hohes Wildt/nisi expressè*
eis in literis investituræ venationes sint concessæ; quo jure etiam
hodie plerisque in locis utimur, nec sine ratione quidem. Cum e-
nim Principes loca publica sua fecerint, eorumque domini facti
sint, *l. littora. 3. ne quid in loco publ.* Venationes utiq; in istis suis locis
publicis & patrimonialibus prohibere potuerunt, *arg. l. 3. §. item*
feras: de acquir. poss. Jurisdictione igitur Principum pleraque fa-
cta sunt propria & privata, quæ naturali jure erant communia,
Wesenb. d. l. n. 7. Gail. 2. observ. 67. & seq. Schneidvv. Heig. ad §. fera.
Inst. de R. D. Acquirimus autem per venationem omnia fera in li-
bertate naturali constituta. arg. d. §. fera. Donell. 4. comm. 8. non au-
tem fera vivariis inclusa, quæ à nobis possidentur; nec etiam na-
turâ mansueta, ut sunt anseres, gallinæ, oves, porci, & similia a-
nimalia, nec denique curâ hominum mansuefacta sive cicurata,
qualia sunt pavones, columbæ, apes domesticæ & similia; hæc e-
nim si quis lucrandi animo acceperit & detinuerit, neque domi-
no restituere voluerit, tam furti, quam ad exhibendum actione
domino tenebitur. *§. gallinarum. Inst. de R. D. l. 3. §. fin. l. 5. §. 1. l. 6. ff ad*
exhibend. Schneidvv. & Heig. ad d. §. gallinarum, Forster. de dominio. c.
9. n. 6. & seq. Fera tamen licet graviter & lethaliter vulnerata, non
prius occupantis contra Trebatium rectè dicitur, quam si eam
cœperit, custodiæque suæ subjecerit, *§. 13. Inst. de R. D. l. 3. §. 2. in fin.*
de A. R. D. Hodie tamen nostris moribus ita observatur, si tam
graviter vulnerata sit fera, ut statim concidat, dubium nō est, quin
sit vulnerantis potius quam occupantis, *Sandrecht lib. 2. art. 61. Sch-*
neidvv. in d. §. 12. n. 4. Rittershus. in d. §. 13. Inst. eod.

XXXIII. Aucupium propriè est volatilium in aere, apium, pavo-

C. 3;

num,

nam, columbarum, &c. §. *apium*. *Inst. de R.D.* Nam ut aer communis est ubique; sic etiam quaecunque capiuntur in aere: De apibus notandum hic, quod si examen apium tuarum evolaverit ex alveo tuo, tam diu esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis sit ejus persecutio, *d. §. apium*: De Jure Saxonico ita observatur, si ex alicujus domo examen evolat apium ad vicinum, ille vicinus id potius retinere potest, quam is, qui persequitur; apibus enim vermis ferus est. *Landrecht art. 120. Schneidvv. ad d. §. apium. & Heig.* Piscatio est captura piscium in propria non aliena aqua. *l. injuriarum. 13. §. fin. de injur. §. 2. Inst. de R.D.* De jure quidem naturali, gentium & civili, omnibus & singulis licitum est, in publicis fluminibus piscari, etiam ante aedes vel ostium alterius, adeo ut prohibens aliquem piscari in flumine publico, teneatur actione injuriarum, *d. l. injuriarum.* Et id multis jam seculis in totum exolevit, nam piscationem fluminis publici aut magistrat9 loci, per quem flumen decurrit, aut accolae fluminis publici sibi vendicant; nec etiam in fluminibus privatis & propriis alteri piscari licet, sed soli domino, *Gl. Jur. Sax. in art. 28. lib. 2.* ubi traditur, quod is, qui in alterius rivo vel flumine piscatus fuerit, teneatur ad aestimationem piscium captivorum, & sic damni dati, & pro poena tres solidos solvendo liberatur; qui vero in piscina fossa piscatus fuerit, 30. solidos pro poena solvere tenetur, & ita pronunciari solet. Hodie igitur privatis venari, piscari & accupari regulariter amplius non licet, sed spectat hoc jus ad Imperatores, Reges, Principes, Comites, Nobiles & omnem ferè magistratum. *Authon. Matth. ad d. §. 12. Inst. de R.D. Förster, de domin. c. 9. n. 17.*

XXXIV. Capta ab hostibus justo in bello jure naturali vel gentium statim fiunt capientium. §. *item ea que.* *Inst. de R.D. l. 5. §. fin. ff. de A. R. D. & Gl. Jur. Sax. Weichbild art. 2.* inquit, quicquid hostibus meis aufero, seu in licito justoque bello acquirō, meum efficitur. Hæc autem conclusio non solum in rebus, sed etiam in personis hostium, ut & illæ in servitutem capientium deducantur, *d. §. item ea. & d. l. 5.* Limitatur autem procedere t. si bellum fuerit justum, quod scil. à populo Romano aliis, vel per alios populo Romano indictum est; vel quod inter eos, qui superiore

riorem

morem non recognoscunt, geritur. *Decius, conf. 691. num. 3. & 4.* hi enim hostes, propriè dicuntur. Cæteri verò prædones seu latrunculi nuncupantur, *l. hostes. 24. ff. de captiv. & postli. revers. & l. 118. ff. de V. S.* uti quidam hisce temporibus bella gerunt, merisque latrociniiis milites suos alunt, omniaque diruunt & exugunt. 2. Limitatur, quod hodie consuetudine generali apud omnes Christianos receptum est, ut capti in bello inter Christianos gesto non efficiantur servi, secundum *Bart. in d. l. hostes.* 3. Limitatur, ut res captæ in bello fiant capientium; distinguendo tamen inter res mobiles & immobiles. Illæ iterum vel sunt pretiosæ & magnæ, vel sunt vulgares; de immobilibus, v. g. de agris ita jus est, ut non fiant singulorum militum, sed publici juris, *l. 20. §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers.* Res mobiles pretiosæ similiter non ad singulos milites, sed ad Ducem belli, vel Magistrum militum pertinent. Interdum etiam Deo consecrantur, adeò ut si quis eas surripiat, crimen peculatus committat. *l. pen. ff. ad L. Jul. pecul.* Interdum tamen magistri militum militibus ea donabant *l. pen. §. 1. C. de donat.* De rebus igitur mobilibus & quidem vulgaribus tantum intelligendus est, *d. §. item ea. 17. Inst. de R. D. Gædd. ad l. 3. §. 1. ff. de V. S. n. 5. Althus. lib. 1. J. R. c. 14. Schneidvv. Heig. Rittersh. ad d. §. item ea.*

XXXV. Inventio est rei, quæ nullius & pro derelicta habita est, occupatio & apprehensio, ut est thesauri inventio: vel rerum naturâ communium, h. e. in littore maris inventarum, ut gemmarum, lapillorum. *§. 18. Inst. de R. D.* Hujusmodi enim res non fuerunt in alicujus bonis; non mirum igitur, quod occupanti concedantur, *§. fere. Inst. de R. D.* secus si aliæ res in littore maris inveniantur, vel etiam in loco privato, vel publicis itineribus, quas transiens ibi amisit; nam illæ sic non fiunt inventoris, debent enim libello proposito vel per præconem significari, quod nisi factum, furtum committitur, *l. 43. §. 4 & 8. vers. solet. ff. de furt. c. si quid invenisti. 6. caus. 14. q. 5. Gilken ad d. §. 18. de dominio. Althus. lib. 1. J. R. c. 14. Heig. Schneidvv. d. l.* Sed quod supra in th. 32. dictum de venatione, piscatione & aucupio, idè de hoc quoq; modo verum est, eum magnates privatis hominibus ademptum suum fecerunt, ut succinum in mari Borussia, *Rittersh. ad d. §. 18. Inst. de R. D. Forst de domin. n. 69.*

Thesau-

Theſaurus eſt vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. *l. nunquam. 31. §. theſaurus. i. de A. R. D. l. unic. C. de theſaur.* Jus autem theſauri potiſſimum ſecundum diverſitatem locorum, in quo reconditus fuit, conſideratur & dijudicatur. Nam aut in ſuo quis invenit, aut in non ſuo; ſiquidem in ſuo regulariter inventor theſaurum ſibi acquirit. *§. theſauros. 40. Inſt. de R. D. & ibid.* Interpp. ſive caſu fortuito, ſive datâ operâ, licitâ tamen invenerit, *d. l. un. C. de theſaur. lib. 10.* In non ſuo theſaurus invenitur dupliciter, vel in alieno, vel in loco, qui nullius eſt, puta ſacro vel religioſo. Locus alienus iterum eſt vel privatorum vel non; cujuſmodi ſunt locus Cæſaris publicus ſiscalis vel civitatis. In alieno repertus theſaurus, ſi fortuito caſu, videl. arando vel fodiendo, dividitur inter inventorem & dominum fundi: Si operâ licitâ, pertinet ad fundi dominum, ſi illicitâ pertinet ad ſicum, *§. 40. Inſt. de R. D.* Idem juris eſt, ſi in alieno publico reperiatur; nam & is vel dividitur, ſi fortuito fuerit inventus, vel ſi datâ operâ licitâ vel illicitâ, Cæſari vel ſico vindicatur, *d. §. theſauros, & ibid. Schneidvv. & alii Dd.* Idem quoque obſervatur in loco nullius ſacro ſcil. & religioſo; Si enim theſaurus in tali loco fortuito repertus eſt, dividi debet inter ſicum & inventorem; ſi verò datâ operâ, tunc totus pertinet ad ſicum, *l. non intelligitur. 3. §. 10. ff. de jur. ſic.* Non obſtat huic ſententiæ. *§. theſauros. 40. Inſt. d. R. D.* diſting. enim inter loca religioſa ſicalia publica & privata; in locis religioſis publicis ſive ſicalibus, dividendus eſt theſaurus, *d. l. 3. §. pen. de jur. ſic.* In loco verò religioſo privato quem quilibet ſibi mortuum inferendo facere poteſt, à Domino repertus theſaurus ipſi in totum eſt adjudicandus, *d. §. theſauros. Donell. lib. 4. comm. c. 14. ibid. Hillig. in not. lit. F. Martinius in contrar. non contr. p. m. 68. Förſter. de domin. c. 9. n. 126. De Jure Saxonic. Omnes theſauri profundius in terram defoſſi, quâ inter arandum vomes ingreditur, pertinent ad regalia, id eſt, ad ſicum vel ſuperiorem dominum, *Conſtit. Elect. 53. & ibid. Dan. Moller. & Berlich. part. 2. conclus. 66. n. 17. & ſeq. quem text. Gl. & plerique alii intelligunt & reſtringunt, ut procedat ſecundum diſpoſitionem juris communis, videl. quando eſt inventus in loco publico vel Imperatoris, vel ſi arte magicâ repertus; Secus ſi inventus in loco privato, ut poſt *Gl.* admonet ibi additio *Schneidvv. Weſenb. Heig. ad d. §. theſauros. Zobel. p. 2. diff. 62.***

XXXVI. Hac-

XXXVI. Haftenus dictum de Occupatione; nunc erit dicen-
dum de Accessione. Accessio est rerum diversorum dominorum
conjunctio quædã & consolidatio. l. 9. §. *Alphenus. de damn. inf.* Estq;
duplex, simplex vel mixta: Simplex naturalis vel artificialis. Na-
turalis est, quando quid sine labore ferè & industria nostra rebus
nostris accedit. Estq; discreta aut continua; Discreta accessio est
partus seu foetura animalium. §. *item ea. 19. Inst. de R. D. vel Insula. §.*
Insula. 22. Inst. eod. quæ ex animalibus nostris nascuntur nostra sunt,
l. 2. l. 6. ff. *de A. R. D.* accessorium enim sequitur suum principale. Et
hoc non solum procedit in animalibus irrationalibus, sed etiam
quod ex rationalibus, ut quod ex ancillis nostris nascitur, domi-
nio nostro subjicitur. §. *servi. 4. Inst. de jur. person. Althus. lib. 1. f. R. c. 15.*
Schneidvv. Heig. ad d. §. 19. Inst. de R. D. Gæddeus ad l. 23. ff. de V. S. num. 4.
Vvesenb. in w. de A. R. D. n. 8. Insula propriè dicitur locus, qui undiq;
aquis est circumdatus, sive in mari, sive in flumine, *Gl. in §. Insula. Inst.*
de R. D. Insula marina fit occupantis quoad usumfructum, non
quoad jurisdictionem & imperium, quod cedit superiori territo-
rii vicini continentis. *Angel. in d. §. Insula.* Fluviatica in medio flu-
mine nata, communis est eorum, qui propè utramq; ripam prædia
possident, quoad dominium, non possessionem, quæ in apprehen-
dentem transit, & jurisdictionem, quæ ad dominum istius territo-
rii pertinet. l. *adeo, l. 3. l. pen. de A. R. D.*; alteri parti proximior, eorum
est, qui ab ea parte propè ripam prædia possident pro modo & la-
titudine cujusq; fundi. d. §. 19. *ibid. Interpp.* De Jure Saxonico quo-
ad jus Insulæ natæ idem expressis verbis statuitur in *artic. 56. lib. 2.*
Cæpolla de servit. rustic. præd. c. 33. Accessio naturalis continua seu
concreta est incrementum apparens vel latens, factum à flumine
publico. §. 20. *Inst. de R. D. l. locus. de A. R. D.* Apparens seu manifestum
incrementum est Circumluvio vel Inundatio. Circumluvio est vel
ex utraq; parte, vel ex unâ; ab utraq; parte, ut si flumè priore alveo
relictò, alicujus agrum in formam Insulæ redegerit, ubi manet e-
jus ager, cujus fuerat. §. 21. *Inst. de R. D. l. adeo. §. si cujus. de A. R. D.* Ex
unâ parte circumluvione incrementum adjectum, quorum præ-
diis illud proximis est, cedit, ut si naturali alveo relictò flumè aliâ
parte fluere inciperet, ubi prior alveus eorum est, qui propè ripâ
prædia possident; Novus autem juris incipit esse publici, d. §. 23.
Inst. de R. D. l. 7. l. 44. ff. de A. R. D. Inundatio est, si vis fluminis totum a-
grum occuparit, ubi si aqua recesserit, tuus permanet ager. §. 24.

D

Inst.

Inst. de R.D. Sic si vis fluminis alieno prædio detracta, in nostrum devexit, ut arbores aut crustum terræ, ea nostra non fiunt, sed prioris domini manent. *d.l. adeo. §. quod si vis. de A. R. D.* dummodo non cohærebunt, id est, radices egerint, aut coaluerint: hoc enim casu transferentur, *d.l. adeo.* Latens incrementum est Alluvio, aggestio & exaggeratio terræ per appulsum fluminis facta, quæ si agro tuo ita quid adjicit, ut non possit intelligi, quantum quoque temporis momento adjiciatur, tibi acquiritur, *§. præterea. 20. Inst. de R. D. l. 7. de A. R. D.* Fallit tamen hoc in lacubus & stagnis. *l. lacus. de A. R. D.* item in agris limitatis. *l. 16. de A. R. D.* ut & in mari. *Donell. lib. 4. comm. c. 27. Heig. Borch. Ritterhus. in d. §. præterea. Förster. de domin. cap. 9. n. 204.*

XXXVII. Artificialis accessio est, quæ industria & opera hominis efficitur; estq; vel rei mobilis aut soli. Rei mobilis est primo Scriptura vel Pictura, secundo Conjunctio vel commixtio. Scriptura est literarum exaratio, quæ chartæ cedit, si pretiosior chartâ scriptura est. *§. littera. 34. Inst. de R. D.* secus si scriptura majoris est æstimationis, ut hodie *per l. in rem. 23. §. in omnibus ff. de R. V.* Hodie enim tam in scripturâ quam in pictura semper ratio prævalentiæ habenda est, quia semper ferme apud antiquos pretiosior charta habebatur quàm scriptura, quippe, quæ neq; artis neq; sumptus multum exigebat, unde scriptura chartæ cedebat; hodie verò quia scriptura prævalet chartæ, ideò charta scripturæ cedit. *Mynsing. ad d. §. littera.* Pictura est animalium aut alterius rei delineatio, cujus dignitati & præstantiæ res aliena cedit. *§. si quis. 35. Inst. de R. D.* Limitatur tamen hoc procedere: si pictura sit nobilis; secus si tabula sit pretiosior, ut quia pictura facta est de carbonibus; tunc enim pictura cedit tabulæ, *d. l. 23. §. 3. ff. de R. V. Gœddeus ad l. 14. n. 12. ff. de V. §. Martin. in contrar. non contrar p. m. 67. Schneidvv. ad d. §. 35. 2. limita- tur, si pictura sit superposita rei immobili, veluti si à muro pictû sit, nam tunc pictura cedit rei immobili, Gl. hic Schneidvv. Heigius, Mynsing. d. loc.*

XXXVIII. Conjunctio est duplex, specificatio aut textura. Specificatio seu effectio formæ est, cum ex aliena materia nova species facta est; quæ si ad priorem & rudem materiam reduci non potest, specificantis fit. *l. adeo. §. cum quis, l. 24. De A. R. D. §. cû ex aliena. 25. Inst. de R. D.* quia materia propter formæ mutationem censetur extincta. *L. Julianus, 9. §. 2. ff. ad exhibend.* ut si ex uvis alienis vinum, olivis oleum, ex auro & argento vas aliquod efficiatur. Hodie tamen inven-

inventa est ars, quã vi chrysulcæ aquæ, aurum à quocunq; metallo
separari potest: *Alciat. 6. π agegy. 11.* ideo vas ex auro & argento
confectum non erit specificantis, sed manet domino materiæ. Ad
hoc autem, ut species facta ex aliena materia fiat specificantis,
tria requiruntur. i. bona fides; nam sciens mala fide de aliena ma-
teria quid faciens, non fit ejus dominus. *l. de eo. §. si quis. ff. ad exhibend.*
& videtur operam suam domino materiæ donare, *arg. l. cujus per er-
rorem. §. 3. ff. de R. J. 11.* ut species non possit ad priorem rudem ma-
teriam reduci. iii. ut faciens suo nomine id fecerit; si enim alte-
rius nomine fecit, ejus efficitur, cujus nomine facta est species. *l.
25. l. 27. §. ubi simul. ff. de A. R. D. Althus. lib. 1. J. R. cap. 15. Schneidvv. & alij
Interpp. ad d. §. cum ex aliena. VVesenb in π. de A. R. D. n. 8.* Datur autem
domino materiæ actio in factum contra specificantem ad conse-
quendam æstimationem materiæ, secundum *gl. in d. §. cum ex aliena.
in verb. spicas in fin. l. 23. §. item quacunq; vers. idemq; ff. de R. V. Heigius
VVesenbec. in sapius d. §. Donell lib. 4. comm. cap. 12. ibid. Hilliger in not.*
Textura est, cum quis rei suæ ejus augendæ & exornandæ causa
quid adjungit & annectit, *l. 19. §. 6. de aur. & argent. leg. ut cum quis
alienam purpuram suo vestimento intexit, quæ tamen vestimen-
to cedit. §. si tamen. 27. Inst. de R. D. aut aurum gemmis margaritis-
vè accesserit. l. 27. ff. de acq. Ver. domin.* Succurritur autem domi-
no purpuræ, quando quis bonâ fide purpuram alienam intex-
uit suo vestimento per conditionem sine causa, vel actione ad
exhibendum, *ut not. post text. in l. gemma. 6. ff. ad exhibend.* Si verò
intexens sit in mala fide, datur actio furti vel condictio furtiva
contra furripientem, sive alius sit, sive ipse, qui vestimentum fecit.
Gilken. ad. d. l. si tamen. 27. de R. D. ibid. commun. Interpp.

XXXIX. Commixtio est, quando duorum res æquæ principales
& similes (non heterogeneæ; tū enim specificatio est) commiscen-
tur, *l. 26. l. 27. ff. de A. R. D. §. 28. Inst. de R. D.* Sciendum autem hic, si
materiæ non manent in propria substantia, quod tunc dicatur
confusio, ut cum mel vino confunditur, *l. 5. de R. V.* quando verò
pristina materia & forma manet, in specie appellatur commix-
tio, ut cum frumentum frumento miscetur §. 29. *Inst. de R. D.* Est
autem utraque duplex, Voluntaria aut Fortuita. *l. 24. & 25.
ff. de A. R. D.* Voluntaria fit utriusque vel unius voluntate. Si

Si utriusq; pro rata communis res esse incipit ex contractu. l. 3. §. 5. si
voluntate. de A. R. D. §. si duorum. Inst. de R. D. Si unig, observatur, an se-
parari possint res confusæ, sive non, ut dictum th. 39. Quod si sepa-
rari possint res, quælibet redit ad priorem dominum. l. 5. §. 1. de R. V.
quia domini natura non est mutata, re ipsâ integrâ existente. l. 5. §.
1. de R. V. sin minus, utraq; cedit ei, qui operam & rem impendit, id
est, specificanti, cum refusione interesse domino priori. Fortuita
confusio est, si fortuito res duorum confunduntur, ita ut discerni
nequeat, quid cuiusq; sit, tum necessario rerum confusarum fit cõ-
munio, pro rata quantitate rerum cuiusq; ne alter alterius jacturâ
locupletetur. l. 27. ff. de A. R. D. d. §. 28. Inst. de R. D. ibid. Interpp. Donell.
lib. 4. comm. cap. 20. ibid. Hilliger in not. Forster. de domin. cap. 9. n. 208.
XL. Accessio artificialis rei soli in tribus consistit; in Ædificatio-
ne, in Plantatione & Seminatione. Ædificatio est, cum quis aut in
suo solo ex aliena materia, aut in alieno ex sua materia ædificat: illic
dominus materiæ fit, & si ædificium manet, dominus materiæ
agit actione de tigno juncto, tot. tit. de tign. junct. l. tigni. 62. de V. S.
qua duplum cõsequitur pro materiâ à bona fide ædificante. Stante
autem ædificio dominus materiæ eam vindicare non potest, ex dis-
positione l. 12. tabb. qua cavetur ut quis tignum alienum ædibus
suis junctum eximere cogatur. l. 1. ff. de tign. junct. & hoc propter
publicam utilitatem, ne scil. aspectus urbis depositis ædificiis de-
formetur, l. 2. C. de ædif. publ. Sin dirutum est ædificium, agit ad exhi-
bendū. §. 30. Inst. de R. D. Contra autem mala fide ædificantē quinq;
actiones competunt; actio de tigno juncto, ad exhibendū, rei vin-
dicatio, condictio furtiva & actio furti, secund. gl. in d. §. 30. in verb. de
tigno juncto. Hic amittit materiam, & ædificium solo cedit, d. §. 30. l.
qui domum. 50. ad. L. Aquil. Distinguendus autem hic est is, qui ædifi-
cat bonâ fide, ab eo qui mala fide; prior enim si possideat ædificiū,
potest soli dominum illud petentem repellere exceptione doli, &
per eam exceptionem sumptus & impensas in ædificando factas
retinere. l. 27. §. ult. l. 37. cum seq. ff. de R. V. Ratio est, quia contra bo-
nam fidem & dolo facit, qui studet lucrari ex alterius jactura. l. 2. §.
5. de dol. mal. except. Si tamen impensas dominus soli reddere nolit,
pati debet, ut sine dispendio suo ædificium tollatis, qui posuit. d. l.
27. §. ult. Quod si non possideat, neq; actionem neq; exceptionem
ad sumptus recuperandos habeat; is nullo alio remedio, nisi per-
retentionem impensas servare potest, l. 14. ff. de dol. mal. except.
Post ea

Posterior, id est, qui sciens ac prudens in alieno ædificat, vel facit id donandi causa, vel ut negotium alterius gerat, cujus est solum; priore casu neq; sumptus repetere potest, neq; materiam, collapsa aliquando ædificio, vindicare, utpote quam semel amisit. l. 2. C. de R. V. posteriore casu negotiorum gestorum actionem habet, arg. d. l. 5. C. de R. V. Donell. lib. 4. comm. cap. 33. *ibid.* Hilliger in not. Schneidvv. Rittershus. ad d. §. 30.

XXI. Plantatione seu insitione acquirimus dominium, si planta in terra coaluit, & radices egit. l. 26. §. 2. ff. de A. R. D. §. 32. *Inst. de R. D.* Tum enim pars soli intelligitur: & quidem commune dominium consequimur, si in confinio posita sit arbor plantave & in utroque fundo radices egerit. d. §. 33. *ibid.* *Interpp.* De jure Saxonico est text. juncta *Gl. in artic. 127.* & in art. 126. *Welchbildt* ubi dicitur, Si arbor ramos suos supra fundum alienum extendit, potest dominus fundi, si vult, illos impunè succidere, fructus etiam agro suo impendentes de jure retinere. & est *gl. in d. artic. 52.* quæ dicit, si quatis arbores tuas, quicquid cadit in aream vicini, id illius efficitur De jure autem communi, quoad postremam partem contrarium videtur statutum, in l. 1. ff. de gland. leg. videlicet, quod si ex arbore mea fructus in tuum fundum cadat, licitum est mihi usque ad tertium diem colligere fructus, Schneidvv. ad d. §. 32. *Cæpol. de serv. vrb. præd. c. 81. ante finem, Donell. lib. 4. commun. cap. 34. Althus. lib. 1. §. R. cap. 15. VVe. senbec. in c. de gland. leg. n. fin.* Utilis autem priori domino actio in rem dabitur, ut aut arbor reddatur, aut interesse præstetur; cum iniquum fuerit, eum ex alieno damnum pati. l. 5. §. 3. ff. de R. V. *Wesensbec. ad d. §. 32. Donell. d. l. Satione seu seminatione consequimur dominium, si sata frumenta terræ coalescunt, §. 33. Inst. de R. V. l. 9. in pr. ff. de A. R. D.* Si enim agrum alienū meo confererim semine, ejus est leges, cujus est ipsum solū; quia sata cedunt solo, sicut ædificia & plantæ. Hinc *Gl. in l. adeo. §. cū in suo in verb. inædificatur. ff. de A. R. D. ait:*

Quicquid plantatur, seritur vel inædificatur,

Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Unde & bonâ fide seminans in alieno solo, repellit dominum soli petentem sata, per exceptionem doli, nisi impensas solverit, d. §. 33. & d. l. 9. De jure Saxonico in *artic. 49. lib. 2.* traditur regula, quod qui colit fundum bona fide, lucretur fructus; qui verò mala, illos perdat. Schneidvv. Heig. ad d. §. 33. Donell. d. l. Försterus de dominio c. 9. *Wesensb. in c. de A. R. D. n. 9.*

D 3)

XXLII. Mix.

XLII. Mixta accessio est in fructuum ex re aliena titulo justo bonaq; fide facta perceptione, *l. 29. ff. de A.R.D.* Si quis enim à non domino, quem dominum esse crediderit, bonâ fide fundum emerit, aut ex alia qualibet justa causa, æque bonâ fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus quos percepit, ejus esse pro cultura & cura; § *si quis à non domino. 36. Inst. de R.D.* Ratio est, partim in bona fide, quæ tantundem possidenti præstat quantum veritas. *l. bona fides. ff. de R. J.* partim in ipso bonæ fidei possessoris facto, quod adhibuit in alienâ re colenda, curanda, *d. §. si quis ibi*, pro cultura & cura. Sciendum autem est, fructus aliquos naturales esse, aliquos civiles. *Schneidvv. Gilken. Harprecht in d. §. si quis.* Civiles sunt, qui magis occasione rei proveniunt, veluti usuræ, pensiones, *l. usura. 34. ff. de usur. l. si navis. de R.V.* Naturales sunt, qui ex ipso rei corpore proveniunt; quod interdum naturâ & spontè contingit, sine facto hominum: & tum fructus naturales in specie dicuntur, ut sunt, poma ex arboribus, ligna ex sylva cædua, fœnum in pratis. *l. fructus. 45. ff. de usur.* Nonnunquam operâ & facto hominum accedente, qui vulgò dicuntur industriales, ut sunt fruges, fata, segetes in agris, fœtus in animalibus, lac, pilus, lana, &c. *l. pecudum. l. qui scit. §. 1. de usur. Donell. 4. comm. c. 31.* Utriq; iterum vel in rerum natura sunt, vel non sunt. Qui sunt in rerum natura, ii vulgò dividuntur in pendentes, seu stantes & perceptos; illi sunt qui adhuc corpori cohærent, sive, qui re adhuc continentur. *l. 44. d. R.D.* & sunt aut maturi aut immaturi *l. si servus. §. si olivam. ff. ad L. Aquil.* Percepti fructus sunt, qui à corpore unde provenerunt, separari, non amplius eo continentur *l. si ejus. 78. de R.D.* Fructus, qui in rerum natura nō sunt, hi vel extiterunt aliquando, vel sunt futuri. Qui extiterunt, dicuntur consumpti, quibus opponuntur extantes, *l. 3. C. de condit. ex lege.* Consumptorum autem alii in rem versi dicuntur vel malè vel perperam consumpti. Futuri autem sunt, qui nondum extiterunt, extituri tamen sperantur, cujusmodi sunt fructus annorum insequentium. §. *ea quoq. Inst. de leg.* Sunt etiam fructus, qui et si percepti non sint, percipi tamen potuerunt, qui vulgò dicuntur fructus percipiendi; item alii sunt fructus aridi, alii liquidi. *Novel. 32. & ibid. Dd.* quorum tractatione fusiore, ne theses in infinitum crescere videantur, supersederè jam maluimus, quâ illam suscipere; introspecti hac de re ex abundantia poterit *Donellus in oper. prior de fructib. & Copus in tr. de fructibus. lib. 1. tit. 3. c. 6. in fin. Schneidvv.*

ad

ad §. 36. *Inst. de R. D. & alij Interpp.* Sciendum igitur, malæ fidei possessorem omnes fructus, cujuscunque sint generis, perceptos, percipiendos, extantes, & consumptos, industriales, naturales & civiles suos non facere, sed eos domino restituere debere, etiam si locupletior inde factus non sit, *d. §. 36. Inst. de R. D. l. i. in fin. C. de petit. hered. l. 12. in pr. ff. quod met. caus.* Ratio hujus rei est, ne furtis, latrocinis & populationibus passim omnia ferveant; & id quoque jure Canonico receptum *c. gravis. ii. Inst. de restit. spol.* Priori tamen casu distinguendum est; aut enim est possessor malæ fidei cum titulo, & tunc à percipiendis excusatur propter titulum, secundum *gl. in l. si fundum. 17. super verb. percepisse. C. de R. V. nisi in quatuor casibus relatis hic in gl. in verb. cogitur; aut est possessor malæ fidei sine titulo, & sic improbilissimus, ut fur, vel violentus occupator; & tunc is de fructibus etiã percipiendis tenetur, *l. 62. §. fin. junctâ gl. ibi. ff. de R. V. Schneidvv. ad. d. §. 36. Bonæ fidei possessor acquirit fructus qualescunq; re nondû evicta: qui scit 25, §. i. & §. ult. l. 48. ff. de A. R. D. & sep. d. §. si quis. 36. Re evicta extantes fructus qualescunq; tam naturales, quàm industriales, tam pendentes quam perceptos restituit, *l. 44. l. 22. C. de R. V. Quod lucretur industriales convenit inter omnes: an autem naturales? maxima est dissensio inter Dd. nos relicti omnibus distinguemus inter eum qui habet titulum, & inter eum qui non habet; ille consequitur fructus naturales, non hic; & hanc distinctionem collatio legum statuit, & in foro observatur. Covarruv lib. 1. variar. resolut. c. 3. n. 6. Forster. in Ex. Inst. disput. 6. th. 26 & in tr. de dominio cap. 9. n. 195. Althus. lib. 1. J. R. cap. 15. Impensas autem utiles & necessarias in rem alienam factas, tam malæ quam bonæ fidei possessor repetit, de qua re prolixè Cujac. lib. 10. cap. 1. Clar. sent. lib. 4. quest. 88. Gæddes ad l. 79. ff. de V. S. Atq; hæc quidem de Occupatione & Accessione dicta sufficiant; restat nunc Traditio, ultimus modus dominiorum, acquirendorum jure gentium introductus.***

XLV. Traditio est vacuæ possessionis datio, ad dominium transferendum. *l. nunquam, 31. ff. de A. R. D. Donell. lib. 4. comm. 19. & 25. Cujac. obs. ii. cap. 19.* Requiritur autem in hac, alia quidem in tradente; alia verò in accipiente. In tradente requiritur I. ut sit dominus, *l. 20. de A. R. D. §. 41. Inst. de R. D. l. 21. ff. de R. I.* II. Voluntas transferendi dominij, *l. si procurator. 35. ff. de A. R. D.* III. Justa causa tradendi, *d. l. nunquam. 31.* IV. requiritur

quiritur, ut pretium sit solutum, aut eo nomine satisfactum; §. 42. *Inst. de R. D. V.* tandem requiritur in tradente, ut tradat. Nam antequam tradatur, eam vindicare non poterit, ad quem spectat *l. 50. ff. de R. V. Althus. lib. 1. §. R. cap. 15.* In accipiente requiritur, I. Consensus. II. rei traditæ acceptio, & III. requiritur, quod accipiens rem traditam animo simul & corpore præhendat, *l. 1. in pr. & §. 1. l. 3. de acquir. poss. Schneidvv. ad. d. §. 41. Althus d. l. Förster. de dominio cap. 9. n. 152.* Est autem Traditio duplex; vera & naturalis, vel ficta. Illa est, qua res corporales de manu in manū traduntur, *d. §. 41. Cujac. lib. 11. cap. 19.* Ficta est, qua res pro tradita habetur, etiam si naturaliter tradita non sit. *Cujac. Observ. lib. 4. cap. 3.* Et fit hæc in personam certam, vel incertam. §. *hoc amplius. Inst. de R. D.* In certam personam fit, I. Cogitatione. II. Notâ vel symbolo. III. Consignatione. Cogitatione fit fictione brevis manus, veluti cum ex alia causa traditio facta ad instans negotium accommodatur, ut si rem tibi locatam vendidero, §. 44. *Inst. de R. D. l. 9. §. interdum, de A. R. D.* Notâ seu symbolo traditio repræsentatur, ut cum claves apud horreum aut cellam tradantur, pro ipso frumento vel vino in horreo & cella. §. 45. *Inst. de R. D. l. 9. §. item si quis, de A. R. D.* In incertam personam fictam traditio fit per jactum missilium, §. 46. *Inst. de R. D.* Item, si quis rem pro derelicta habeat. §. 47. *Inst. de R. D. l. 5. pro derelicto, Hottomann. illustr. quest. 12. Donell. lib. 4. comm. cap. 15. Alth. d. l. Schneidvv. Heigius & alii interpp. ad d. §. 41. & seqq.* De Jure Saxonico in traditione requiritur aliquid amplius, nimirum, ut Traditio coram judice fiat, *Da muß es vor dem Richter geschehen/sonsten bleibet das Guth des / so das Guth vergeben oder verkaufft hat / lib. 1. Landtrecht art. 34. & art. 52. Weichbildt art. 20.* Mobilia autem licet indistinctè alienare. *lib. 1. Landtrecht d. art. 52. Col. decis. 10. n. 6.* Sed hæc juris Saxonici subtilitas, in usu quotidiano non observatur, ut experientia testatur, *Coler. de process. execut. p. 1. c. 2. n. 20. Wesenbec. in w. de hered. pet. in fin. Förster. de dominio, cap. 3. n. 163.*

XLIV, Hactenus dictum de modis domini acquirendi juris Gentium, nunc paucis attingamus modos Juris civilis. Jure Civili dominia quærentur diversis modis, & aliis quidem singularū rerū, aliis verò per universitatem, §. *fin. Inst. per quas personas cuiq; acquirit.* Singularū autem rerū dominia quærentur, vel corporaliū vel incorporaliū rerū; Utrarumq; verò vel sine vel cum domini voluntate. Sine voluntate domini veluti usucapione, seu præscriptione

Est

Est autem usucapio adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti. *l. 3. de usucap.* Estq; pium remedium usucapio, *l. fin. C. de fund. patr. lib. II.* ad dirimendas lites, bonoq; publico introducta, *l. 1. de usucap. princip. Inst. eod. Cicero pro Cecinna.* Ad usucapionem autem necessaria sunt quinque. 1. Possessio, eaq; continua. 2. bona fides. 3. titulus sive causa possessionis iusta & vera. 4. tempus legitimum seu lege definitum. 5. Res non vitiosa, *t. t. Inst. de usucap. Dd. passim.* Unde hi versic.

*Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque;
Bona fides, justus titulus, res non vitiosa,
Ut res tradatur, & tempus continuetur.*

Forster. *de domin. cap. 9. n. 214.* Cum domini voluntate rerum singularum dominia, iure civili quaeruntur Donatione, *t. t. Inst. de donat. l. 4. & seq. C. Theodos. de donat.* Refertur autem inter modos juris civilis, per *S. fin. Inst. de usu. & habit. Goeddeus ad l. 23 ff. de V. S. n. 6. late Forsterus disput. 10. E. I. thes. 3.* item Legato Fideicommissio, & jure accrescendi *d. S. fin. per quas person. pr. Inst. de leg. S. fin. Inst. de donat.* Incorporalium rerum dominium acquiritur traditione potissimum, aut eo quod cederet pro traditione. Constituantur quidem Emphyteuticum & alia jura, pactionibus & testamento, *l. 6. de usufr. sed ut transferatur, oportet, ut fundus tradatur. l. traditionibus. C. de pact.* que madmodum in servitutibus etiam usus dominantis pro possessione, & servientis patientia pro traditione habetur, *l. II. de publ. in rem act.* Obligationis etiam dominium acquiritur cessione. Nam fidejussori solidum solventi, cedi debent actiones contra confidejssores; alias nullam haberet actionem, *l. ut fidejussor. de fidejuss. contra principalem autem agere potest, etiam non cessis actionibus, ut est verior sententia, l. mandati. 14. C. de fidejuss. Coler. de process. executiv. p. I. c. 10. n. 273.* Per Universitatem de jure Civili rerum dominia quaeruntur Successione potissimum, tam civili, ex qua successor heres dicitur, quam Praetoria, id est, bonorum possessione, *l. 1. in fin. de muner. & honor. t. t. Inst. de honor. poss.* Utraq; vero vel ex testamento contingit, vel ab intestato, *l. 130. de V. S. l. 3. S. de illo, ff. Pro socio. Althus. lib. I. J. R. c. 17. Forster. de domin. cap. 9. n. 153.* De quibus omnibus & singulis late ac prolixè agere nostri non est instituti; Hæc nunc

E

suffi-

sufficiat de dominio acquirendi, tã jure gentiũ, quã civili, modis.
XLV. Cũ sine causã finalis veritate ac perfectione nulla res
formam suam integram & absolutam consequi possit, per l. 5. §. 1.
cum ibi not. l. 13. §. 1. l. 14. ff. de V. S. ibid. Goeddeus, nostrum erit, post
explicatam formam domini, Finem ipsius proponere. Est autem
ejus finis duplex: primo, ut constituta rerum proprietate, scatu-
rigines litium & contentionum obstruantur; nam eorum incerti-
tudo & rerum communio parit discordias, l. cum pater. 79. §. omnia.
de legat. 2. Deinde ut quod suo quisq; jure possidet, id tuto quoq;
ac securẽ possidere, eoq; pro arbitrio uti frui possit, Wesenbec. in
π. de A. R. D. n. 11. Forsterus de dominio cap. 10.

XLVI. Ex efficacia effectus arguitur potentia causã efficientis;
exitus enim acta probat, & effectus denotat causam, l. rem non no-
vam. circ. fin. C. de judic. Everhard. in Top. in loc. ab effect. n. 2. Agitur nunc
rectã progredimur ad effectum dominiorum, qui multiplex est,
sed in tribus præcipuẽ conspicitur: quorum primum est, quod
dominus habet liberam re suã utendi fruendi facultatem, quate-
nus jura permittunt, vulgat. l. 21. C. Mandat. Alterum, quod an is-
sa possessione detur domino rei vindicatio, adversus quoslibet
possessores, ad res recuperandas, l. in rem. 24. de R. V. Debet au-
tem, qui hac actione agit, duo probare, dominium ex sua parte,
& possessionem ex parte rei, l. item. 23. l. officium. de R. V. adeo, ut
si alterutrum non probet actor, reus etiam nihil præstans absol-
vatur, l. 4. C. de edend. Dominium autem non tantum emtionis
instrumentis, sed & aliis quibuscunq; legitimis probationibus
ostenditur, ut ait Imper. Alex. in l. proprietatis dominium. 4. & ibid.
Bartol. Salicet. & Angel. C. de probat. Dominium autem difficulter
probatur, l. sive possidetis. C. de probat: Item probatur etiam instru-
mentis investituræ Emphyteuseos, aut alterius tituli ad domini-
um transferendum habilis, item testibus idoneam scientiã cau-
sam allegantibus, Mascard. conclus. 547. Item per præscriptionem
& possessionem tanti temporis, unde præscriptio resultet, Mascar.
concl. 548. Item per famam antiquam & publicam. Mascard. conclus.
546. aliaq; indicia varia & argumenta probatio fieri potest, d. l. cũ
res ibiq; Dd. C. de probat. Tertium est, ut quod jure quisq; tenet, id
ipsi invito auferri non possit. l. omnes. 139. §. 1. l. id quod nostrum. ff.
R. J. adeo, ut ne quidem Princeps de plenitudine potestatis a-
licui-

licui rem suam auferre possit, sine iusta publicæ utilitatis & necessitatis causa; & ne quidem hoc casu illud potest, nisi congrua moderataq; recompensatione facta. Princeps enim dominus mundi dicitur non ea ratione, ut dominiū singularū rerum privatarum sibi arrogare possit; sed respectu jurisdictionis ac protectionis, quæ super mundo habet, dominium mundi ipsi adscriptum est, Covarruv. lib. 3. variar. resolut. cap. 6. n. 8. Vasq. lib. 1. controvers. c. 3. c. 5. c. 25. & 45. Cravett. consil. 241. Treutler. vol. 1. disp. 1. th. 5. lit. H. Philip. Matth. ad l. 11. ff. de R. J. n. 53. Hottoman. illustr. quest. 1.

XLVII. Visis dominiis causis constituentibus, ordo flagitat, ut paucis quoq; introspeciamus ipsius destruentes. Destruitur autem seu amittitur alienatione potissimum, & omnibus iis modis, quibus res aliis acquiruntur, l. 1. ff. pro derelicto. Item, rapinâ, furto, tyrannide, invasione alieni, morte quoq; perimitur. Mors enim omnia solvit. Novell. de nupt. 22 c. deinceps. 20. Wesenbec. in π. de A. R. D. n. 13. Forster. de domin. cap. ult. & seq. & aliis similibus modis; his n. & aliis diutius inhærare nunc non vacat: Sufficiant hæc.

XLVIII. Atq; hæc jam pro re nata de materia dominiū dicta sufficiant, quibus addere nunc placet, ut d. sup. in præloq. quæstionum quarundam controversarum decisiones & explicationes. Quemadmodum enim viator per inculta loca iter faciens, impedimenta omniaq; obstacula remove cogitur: ita in inquisitione veræ sententiæ falsæ sunt removendæ, veræq; pro illis introducendæ. Quare vera de Domino sententia considerata non abs re fore existimamus, si quæstionum nonnullarum dubiarum decisionem subjungamus, veramq; sententiam pro virili adjungamus, & ita disputationi nostræ finem imponamus.

SECTIO II.

Brevem quæstionum nonnullarum Πηλοσιν continens.

QVÆSTIO I.

An Principes possint Venationes prohibere suis subditis?

Negandū hoc videtur; cū Deus statim in primordio omnibus hominibus in cuncta animalia concesserit potestatem Gen. 1. v. 28 & c. 9. v. 1. & propterea malefacere videtur illi, qui contra concessionē divinam ad Principes solos potestatem illam restringunt. Deinde quia facultas venandi jure naturali est concessa, S. fere. Inst. de R. D.

Jura autem naturalia nulla constitutione civili mutari possunt,
*S. sed naturalia. Instit. de J. N. G. & C. Roland. à Valle conf. 9. lib. 2.
 Menoch. consil. 298. n. 18. lib. 3.* Hisce non attentis verius est, Prin-
 cipem posse subditis venationem interdicerere, si hoc exigat Rei-
 publ. salus, quod nostro seculo haud abs re contingit, ob sequen-
 tes rationes. I. Ne cives venationi dediti avocentur à cultura a-
 grorum. Si enim indifferenter permessa esset venatio omnibus,
 quilibet potius feras sectaretur, quàm multo labore agrum cole-
 ret, ac ita agricultura negligetur, quod ne fiat, Reipubl. utile est,
Authent. agricultura. C. quæ res pign. oblig. poss. II. Propter curam ser-
 vandarum specierum in animantibus, cum non tanta sit copia fe-
 rarum bestiarum, quanta est cicurum, & sic si omnibus indistinctè
 jus venandi concederetur, facilè totius generis devastatio metu-
 enda esset. III. Si cuilibet esset permissum venari, & armis feras
 insequi, fenestra aperiretur cædib; & latrociniis, ut quilibet corda-
 tus intelligit. *VVesenbec. in π. de A. R. D. n. 7. Medices tr. de venat. pag. 1.
 q. 5. Gail. lib. 1. observ. 68. n. 10. Hænon. disp. 4. Inst. thes. 6.* Non
 obstant argumenta pro subditis adducta; Et primò potestas, quam
 DEUS in bestias concedit, non venationem concernit, sed po-
 tius hominis eminentiam, quam etiam deprehendimus, licet non
 promiscuè subditis venatio sit concessa. Et si potestas de venandi
 licentiâ intelligenda esset, sequeretur, quod etiam usus animalium
 mansuetorum promiscuus esset relinquendus, quod tamen
 absurdum est, *Augustin. lib. 19. de civit. DEI. cap. 14. & 15.* Nec ob-
 stat, quod jura naturalia nulla constitutione civili mutari possint;
 Etsi enim Princeps in genere & in totum jus naturale abrogare
 nequeat: tamen ab illo jure ex parte recedere, illi modò addere
 aliquid, modo detrahere, ve etiam ex legitimâ causa illud limi-
 tare potest, *argt. l. 6. ff. de J. & J. Harprecht. in S. fere. 12. n. 96. Inst.
 de R. D. Berens disp. 3. Ex. Justin. 13. Forster. de dominio cap. 9.*

QVÆSTIO II.

*Quâ pœnâ affiendi sint, qui contra prohibitionem
 Principum venantur?*

Nimis durum esse quidam opinantur, ut homo ad imaginem
 DEI

D¹E I creatus, & Christianus, Salvatoris nostri membrum, ob vilissimam beluam summo supplicio afficiatur; cum tamen in delictis & pœnis ἀναλογία esse debeat, l. respiciendum. ii. ff. de pœn. & cautius agendum sit, ubi de hominis vita periculum imminet, Andr. Knichen in comment. ad jus Saxon. f. n. 144. Pruckman. de regal. §. venatio. c. 4. n. 63. Rectè hac in quæst. distingvit Harprecht ad S. ferr. Inst. de R. D. num. 256. & p. i. disp. 10. th. 31. aut Edicto inquiring, Venationis prohibitorio nulla certa & specifica pœna inserta est, aut ei certa & specifica pœna est adjecta. Priori casu in venatores actio injuriarum competit, l. 13. §. ult. ff. de injur. posteriori verò casu illis pœna statuta irrogari debet; dummodo ea pro venatione prima non sit capitalis, sed vel pecuniaria, vel carceris, vel interdictio bombardarum & armorum, aliavè non abfimilis. Venationem iterantes non solum in famosâ columnâ publicè poni & ex provinciâ relegari, aut illi districtui, in quo deliquerunt, in perpetuum mancipari, sed etiam fustigationis aliave corporali pœnâ coerceri queunt, si ita facti, & personarum qualitas exposcat, l. 3. C. de Episcop. aud. Quod si verò tertiâ vice, adeoq; sæpius contra Principis dominive sui edictum venationibus pertinaciter indulserint, atq; ita prorsus incorrigibiles facti sint, ultimo supplicio affici poterunt. l. 16. §. ult. ff. de poen. Dominicus Sotus lib. 4. de J. & J. q. 6. art. 4. Bocer. class. 4. disp. 3. th. 32. in fin. Hænon. disp. 4. Just. th. 6. Et hoc ita observatur in hoc Electoratu, ut post leviores pœnas etiam ad graviores & corporales deveniatur, ne iterata toties contumaciâ maneat impunita, ut patet ex Constitutione Electorali sub titulo von jagen/ schieffen vnd heßen in der Wiltban. Non conqueri possunt, quod pœna statuatur, quæ non sit conformis delicto; siquidem punitur summo supplicio, qui contra prohibitionem Principum venatur, non tam ob feram captam, quam propter proterviam, contumaciam & animum delinquendi consuetum, & quod contemnit edicta sui magistratus, ob quam causam etiam jus Divinum tali delinquenti mortis pœnam irrogat, Deut. 17. 21. Exod. 22. l. fin. C. de veter. numismat. petit. Knichen. d. comm. f. 149. Fachineus lib. 1. controv. c. 1. Mynsing. 2. observ. 46. Forster. de domin. cap. 9. n. 61.

E 3

QVÆ

QVÆSTIO III.

*An homines capti ita fiant capientium, ut liceat abuti
fœminis vel stupro vel adulterio?*

Cum nullum crimen sit tam atrox, quod malè feriat homines non excusandum putent; ita hoc ex eo defendi posse videtur, quod tam res quam corpora hostium jure gentium sint in manu & potestate capientium, ante capturam quoq; integrum fuerit hostem vel occidere vel capere: multò igitur magis concessum erit, hostem captam stuprare, vel citra adulterii crimen cum conjugata coire. Verum enim verò rectius sentiunt *Petr-Gregor. Tholosan. lib. 11. de Republ. c. 10. n. 6. Bædin. 5. de Republ. 5. Alberio. Gentil. lib. 2. de jur. bell. c. 21.* quamvis enim concessam est jure belli, hostes interficere, eosq; unà cum liberis atq; uxoribus venundare: tamen mulieres tam gravi & infami contumelia afficere æquum non est; cum semper fuerit injustum attentare & contaminare honestatē mulieris. Hinc est, quod *J. Cui* scribunt, quem potes necare, cum non habes impudicē. *Bartol. ad Lult. C. si contra jus vel util. public. fuerit postul. & impetr.* quod legi divinæ convenit, quā Deus quidem permittit, ducere in uxorem captivam, licenter autem agere cum ea non concedit. *Deut. 21.* Ideò minime procedit argumentum, licet occidere, ergò licet stuprare; cum permissum sit jure belli interficere & necare hostes laceffentes, et non concessum mœchari.

QVÆSTIO IV.

Vis fluminis si arbores vel quicquid simile prædio alieno detrahat, & nostro adjiciat, an nostrum fiat, si radices agat?

Quamvis hoc expediti videatur juris, ob expressum textum in §. *quod si vis. 21. de R. D. l. adeò. 7. §. 2. ff. de A. R. D.* ubi arbor, quæ radices egit in fundo alieno, acquiritur fundo jure coalitionis, cum jam fundi pars esse censeatur, *l. 66. §. pen. de A. R. D.* tamen dubium facit *l. idem Pomponius. §. 3. ff. de R. V.* ubi scribitur; quod licet arbor radices egerit, dominus prior nihilominus habeat utilem in rem actionem. Et quidem *Donell. 4. commun. 27 putat in d. l. 5. §. 3.* referri saltem ab *Ulpiano* sententiam *Nervæ & Vari*, non autem

rem approbati : sed. omiffa hâc divinatoria opinione, magis est,
ut dicamus in d. l. 5. non agi de arbore, quæ vi fluminis eruta, sed
quæ factò hominis est evulsa & in alium locum transposita, Gl. &
Vvesembec. in d. §. quod si vis. n. 6.

QVÆSTIO V.

*Si materia dominus consecutus est duplum ab edificatore,
queritur, an nihilominus diruto edificio materi-
am vindicare queat?*

Ulpianus in l. 2. ff. de tign. junct. tradit, eum qui interdicto de
tigno juncto agit, nihilominus vindicationem salvam retinere,
quod repugnat §. cum in suo. 20. Inst. de R. D. ubi hoc expressè ne-
gatur; cum sit contra bonam fidem, ut idem bis exigatur, l. bona.
57. de R. J. & pretium in locum rei succedat, l. 2. §. ult. pro emtor.
quod movit Vvesembec. in d. §. cum in suo. n. 7. verb. duplum, ut textum
d. l. 2. corrigat, & pro extrinsecus legat extincta, ut sensus sit,
quod extincta sit vindicatio, si dominus duplum consecutus sit:
sed verior est sententia eorum, qui putant, Jctum in d. l. 2. de eo
agere, qui quidem actionem dupli intentavit, sed frustra egit, nec
consecutus est duplum, quod judicio persequebatur, Balduinus in
d. §. cum in suo. & ad ll. 12. tabb. 6. 12.

QVÆSTIO VI.

*An Possessori impensarum repetitio sit concedenda
si res perit?*

Hoc negandum esse videtur, cum causa repetitionis cesset,
quæ est, ne actor locupletior fiat cum alterius damno. l. 78. ff. de
R. J. At verò ubi rem petit eamq; nec consequitur, neq; eius æsti-
mationem, nō potest dici quod fiat locupletior. Deinde deductio
impensarum fit retentione, l. sumptus. 48. de R. V. l. si area. in fin. de
condict. jndeb. perempta autem re nihil est, quod retinere possit,
cū non entis nullæ sint qualitates, arg. l. 2. ff. de exception. Verùm
hic inter bonæ fidei & malæ fidei possessorem ita distinguimus,
ut hic impensas amittat; ille quidem possit repetere, verum nō in
omni, sed in universali saltem judicio. Ratio autem diversitatis in
eo con-

2529.
eo consistit, quod in universitate seu hereditate multæ & variæ res inveniuntur, quæ perempta re, in quam sumtus sunt factæ ante præstationem impensarum retineri possint; secus est in petitione rei singularis. Hæc enim si perit, nihil superest, quod retineri queat, donec impensæ deducantur, *Donell. latè lib. 20. comm. c. 7. Treutler. pag. 2. disputat. 20. th. 6. lit. B. Gæddeus ad l. 79. ff. de V. S. num. 6.*


Et ita peractis divinæ clementiæ gratiis, finimus Disputationem nostram, additis adhuc quatuor insignibus Mantissis.

I. An Studiosi, quorum nomina non scripta sunt in matricula, gaudeant privilegiis Studiosorum? Aff:

II. Si studiosus inscriptus recedat à studio, & postea revertatur, an ei prodest, quod antea fuit inscriptus? Disting. hîc: aut studiosus abfuit à studio per quinquennium, & reverso non prodest prior matricula, *l. 3. C. de demost. & prot. l. 11.* aut abfuit minori tempore; & tunc si se contulit ad mercantiam, vel alia officia vel artificia, reverso prior matricula quoq; non prodest; videtur enim deposuisse animum studendi. Si verò ad alia se non contulit, tunc prodesset ei.

III. An provocatus si in ædibus, aliove loco tuto commoretur, ad duellum vel certamen provocanti honoris sui defendendicausa comparere debeat? Neg.

IV. An libri Studiosorum pro pensione tacitè hypothecari possint? Neg.



Vb 17

ULB Halle


3

002 673 282



TA → OL







Farbkarte #13

B.I.G.

1573

D. O. M. A.
Disputatio Juridica
De 1627
ACQVIRENDO
RERUM DOMINIO,
Quam
Consentiente & permittente Magnificâ atq;
Amplissimâ Facultate Juridicâ in florentissimâ
Albimontium Academia,
SUB PRÆSIDIO
Viri Clarissimi & Consultissimi
DN. CHRISTIANI Krembergf
J. U. D. Dn. Præceptoris, Fautoris & Pro-
motoris ætatem colendi,
Publicæ legalis prudentiæ cultorum censura subiicit
CHRISTIANUS BALDUINUS F.F.
In auditorio Ictorum ad diem 14. Julij, horis à VII. matutinis.

VVITTEBERGÆ,
Typis AUGUSTI BORECK Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXVII.

